2 19211/p

SCRUTATIO PHYSICO-MEDICA

DE

OPERATIONIBUS MEDICAMENTORUM

Reficientium & Adjuvantium,

Nominatim

Cordialium, Anodinorum, Specificorum, Bechicorum, Aperientium, Abſorbentium, Præcipitantium, Diluentium, Febrifugorum, Anthelminticorum, Emollientium, Vulnerariorum, Cathærticorum, Coſmeticorum;

Qvam

PRÆSES

GEORGIUS DETHARDING

Med. D. & Profeſſ. Publ. Conſiſtorii Regii Aſſeſſor, & Academ. Nat. Curioſor. Collega,

RESPONDENTE

SAMUELE ERNESTO CRÜGNERO

Medic. Cand.

ad diem VII. Decembr. Ao. MDCCXXXV.

In Auditorio Majori

publico Examini committit.

HAFNIÆ,

Typis Reg. Majeſt. & Univerſit. Typogr. Joh. G. Höpffneri.

Imprimatur.

Joh. de Buchwald.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Præfamen.

Telam, quam miſſis in publicum binis Diſputationibus, altera de *operationibus medicamentorum evacuantium*, altera de *operationibus medicamentorum adſtringentium*, exorſus ſum, pertexere placuit: ut per exempla porro probem, qvam infida ſit opinio de phyſica remediorum efficacia, niſi reſpectus moralis in ſubſidium veniat. Huc enim redit de viribus medica- „mentorum ſententia mea: (ut paucis repetam, quæ in „prioribus fuſius allata fuere) dum nulla materia in ſe „eſt activa, ſed potentiam, quæ ſibi tribuitur, activitati „motus ſuperinducti debet, nec medicamenta, quæ ſunt „materialia, operari per ſe, ſed phænomena, quæ uſum „comitantur, eſſe conſectaria motus circa illa vel in il- „lis. Quod porro ad hunc motum attinet, mihi perſva- „ſum eſt, hunc à pharmacis exſpectari non poſſe; qvia, „quoties materiis actio, vulgari loquendi modo, tribui- „tur, requiritur, ut 1) fiat per contactum mutuum „corporum, 2) ut materia movens ſit harum virium, „quo corpora vicina loco movere poſſit, 3) infringa- „tur vero motus, ſi moventi multa objecta occurrant, „ad quæ in via allidit; ſed hæc requiſita ſub effectibus „medicamentorum in ſenſus incurrentibus ceſſant; par- „tim quod locum affectum immediate non attingunt; „partim quod nulla proportio inter effectum & movens;

„partim quod ante appulſum de viribus ſuis valde re-
„miſerunt, occurrentibus ante tot fluidis & ſolidis, quam
„ad locum operationis appellunt. E contra, ſi Princi-
„pio moventi in corpore motum tribuamus, omnia cla-
„ra ac perſpicua. Statim nempe ac vel aſſumuntur,
„vel ad corpus appellunt, quantum ego capio, Præſidi-
„um corporis conſervatorium, vel Energia vitalis, vel
„natura, vel quocunque nomine appellare illud lubet,
„vi ſenſus interni, ſive perceptionis intrinſecæ, ſi non
„quoque externi, de illis informatur, à qvo, ſi tanti fu-
„erit, motus ad leges ſibi æque ac aliis cauſis ſecundis
„datas adornat, in quantum cenſet corpori ſalutaria
„acceptave, ut propius accedant, & de illis commoda
„capiat, vel in qvantum judicat noxia aut ingrata, ut
„arceantur & removeantur, ne tædio vel noxæ ſint.
„Hinc, quicquid phyſici ſive ratione qualitatis, ſive ra-
„tione aliorum attributorum in medicamentis eſt, hoc,
„judico, occaſionem præbere Præſidio interno ſtatuen-
„di per motum de admittendo vel dimittendo; even-
„tum vero motuum horundem haberi pro medicamen-
„torum effectu. Quodſi tamen illa interſint, quæ ex
„phyſica indole, vel media Senſationis turbent aut peſ-
„ſundent, quo minus perceptio, nec ergo motus ſolen-
„nes adornari poſſint; vel quæ organa motus inſtituendi
„deſtruant, hæc cenſeo non ad medicamenta pertinere,
„ſed ad venena, ut probe ab his diſtingvenda ſint;
„experientiam itaque melius nos de operationibus me-
„dicamentorum informare à poſteriori, qvam ratio-
„nem à priori. Protruſit eqvidem in lucem, nova Phi-
loſo-

loſophia naturalis, quæ novas ſemper rerum formas edere cupit, Doctrinam de *Harmonia præſtabilita*, ad quam pro more ſeculi nova deperientis, *operationum* modus per medicamenta eſſet inflectendus; ſed quia de hoc producto, formarum ingenii Spectatores, adhucdum decertant, an pro abortu phantaſiæ, an pro hujus monſtro ſit habendum? pro legitimo enim fœtu mentis nec Parentes agnoſcere volunt, in via manendum fuit, quam experientia & ratio monſtrarunt huc usque regiam, nec tot Syrtibus ſtipatam. Sin recenſendo remedia nimis auctoritati dederim, &, qui trium literarum tyrannus merito audit, Mos, in materia medica ſolennis, me eo compulerit, ut cumulum pharmacorum attulerim; eſt quod in exceſſu peccare maluerim quam in defectu, qui cæteroquin ex praxi clinica ultra triginta annos deamata didici, quam pauca pharmaca ſint, quæ medicum nobilitent! Tum quoque cardo rei, de qua agitur, in modo phænomena medicamentorum in uſum vocatorum evolvendo verſatur, quem nec prolixiorem juſto, nec juſto breviorem me expoſuiſſe confido.

F. D. F.

MEMBR. I.
DE
Operationibus Medicamentorum Reficientium.
§. I.

Neminem ſpero, offenderit titulus hicce, quando medicamenta *reficere* dicuntur, cum cæteroquin refectio cibis tribuatur, à quibus morbis hactenus debilitati jam convaleſcentes, vires indies acquirunt majores; nec enim tanta hic ſubeſt differentia: modo quod ab eſculentis langvidi, ſenſim ſenſimque ad priſtinum valetudinis ſtatum redeant; à medicamentis vero, de quibus hic ſermo, ſubito magis animum reſumant, à doloribus & langvore in tantum liberati. Tum quoque unum eſt Principium, quod ex utroque refectionis modo commoda capit, & quo hæc obtineant, per motus, occaſione aſſumptorum, diſponit.

§. 2. Nec vero remediorum horundem tot dantur claſſes, ac quoad ſic dicta alterantia penus medica ſer-

ſervati; imò ſi viritim, quæ ad has claſſes referuntur, examinentur & quænam reficientium titulum jure ſibi vindicare poſſint, amplior Catalogus in parvum redigi facile poſſet; Quæ tamen hujus loci ſunt, ſunt *Cordialia, Anodina, Specifica.*

CAP. I.
DE
Medicamentis Cordialibus.

§. 1. *Cordialia*, item *analeptica*, *cardiaca* hæc audiunt Medicamenta, à quorum uſu tam interno, quam externo, ſub quavis forma, ut plurimum & quantocius animus langventium redit, viresque reſtaurantur.

§. 2. Longius juſto foret, ſi catalogo cordialium inſerere vellem, *bezoardica*, *alexipharmaca*, *abſorbentia*, *præcipitantia*, *reſolventia*, vel etiam *narcotica*. Licet enim iſta quoad effectum, exceptis tamen ultimis, motus in ſangvine extraordinarios per ſubactionem & excluſionem materiarum noxiarum compeſcere & naturæ ſuccurrere videantur; attamen hoc ſubſidium partim eſt longè petitum, partim non brevem temporis ante vult tractum, quam reſtitutio illa accedit; è contra cordialium effectus ſubito ſe prodit & citra ſpecialem quandam evacuationem.

§. 3. Referuntur ergo ad materiam medicam cordialium ex Regno vegetabili, ſpeciatim ex Radicibus *radix ninſi*, *galang*, *caryophill.* Ex herbis & foliis *Bugloſſum*, *Meliſſa*, *Roſmarinus*, *Ocymum*, *Thymus*, *Salvia*, *Majorana*. Ex Floribus, *Flores Roſarum*, *Violarum*, *Borraginis*,

nis, *Bugloſſi* (qui communi nomine 4. flores cordiales in officinis veniunt) *Lilior. convallium*, *anthos*, *tiliæ*, *lavendulæ.* Ex Fructibus *caryophilli.* Ex Corticibus, *cortices citri*, *aurantiorum*, *cinnamomum.* Ex lignis *Xylo-aloes.* Ex Gummi-reſinis, *Benzoe*, *Styrax*, *Thus*, *Cortex Thymiamatis.* Ex præparatis ad hoc regnum pertinent *aquæ* ex *herbis*, *floribus*, *corticibus* memoratis deſtillatæ tam *ſimplices* quam *compoſitæ*; qveis addere juvat *aquam rub. idæi*, *fragor. ceraſ. nigr. flor. naphæ &c. Spiritus* item *roſarum*, *lil. convall. meliſſ. anth.* nec non ex acetis, *acetum Calendulæ*, *Rutæ*, *flor. tunic.*, *roſar. rub. idæi*; ex oleis deſtillatis *oleum Cinnamomi*, *cariophyll. mac. thym. Lign. Rhod.* ex *Syrupis* autem, qui ex *floribus* & *herbis* modo dictis in officinis reperibiles.

§. 4. Regnum animale ſuppeditat *Moſchum*, *coccionellam*, & ex vulgi opinione ſingula & quævis è *Cervo* parata, *lapides Bezoar*, *unicornu.* Regnum vero minerale offert *Ambram.*

§. 5. Inter decompoſita ſervant officinæ, *aquam Carbunculi*, Cordial. temperat. *anhaltin. intern. & extern. apoplecticas* ab variis authoribus nomen habentes, *Tincturam Ambræ*, *Corallior. confect. alcherm. c. de hyacinth.*, *Electuar. de Gemm. Spec. lætificant. Galeni*, *Species diambr.*, *diamoſch.*, *balſam. apoplecticos* varii generis, *trochiſc. de Gall. alipt. moſch.*, *Sal volatile oleoſum* Sylvii, *Balſam. Hoffmann.*

§. 6. Pro Evporiſtis nota ſunt, *Vinum*, præſertim *Rhenanum*, *aquæ vitæ*, *poma redolentia*, *poma citri*; in genere huc referuntur, quæ ex *odoriferis*, *aromaticis*, *balſamicis* ad manus ſunt.

§. 7.

§. 7. Qvandoquidem autem non modo bene olentia reficiunt languentes, ſed pro ſexus & individuorum varietate *graveolentia* parilem refectionem afferunt, eſt quod ex his varia pariter ad catalogum cordialium pertineant. Quod enim ad Regnum vegetabile attinet, adſunt ex ſimplicibus *rad. leviſtic. angel. zedoar. valerian. pœon. leviſticum, matricaria, nepetha, pulegium, ruta, calamintha, aſa fœtida*; ex præparatis *aquæ, tincturæ* & *eſſentiæ*, ex memoratis ſimplicibus collectæ. Regnum animale offert *Caſtoreum*, nunc in forma liquida, nunc media, nunc ſicca exhibendum: nec non *Zibethum* & *Teſticulos equi*; ex decompoſitis aquas *hyſtericarum* titulo notas. Inter evporiſta familiaria ſunt *raſuræ ungularum, pennæ perdicum, nux moſchata toſta*: generatim *fœtidiora* & graveolentia. Regnum minerale *ſuccinum* habet, ex quo varia in refocillamentum parantur.

§. 8. Sed ad Hiſtoriam operationis Cordialium, quæ hæc eſt. In virium omiſſione ab aſſumtis, vel externe admotis iſtis, pro majori aut minori fragrantia mox aliquod ſolamen animo decumbentis accedit, ut oculos, ſi clauſi fuerint, iterum aperiat, ad voces clamantium denuò attendat, & evigilare adſtantibus videatur. Reſpiratio, quæ fuit langvida aut intercepta, redit intenſior, quamvis ſuſpirioſa; per membra ruit calor, frigore ſenſim recedente, & æger, quaſi ex alto ſomno evigilet, ſe habet. Quod ſi per tempus langvoris corpus inſolitis motibus fuerit agitatum, hi pariter remittunt & ceſſant, reſiduo membrorum langvore, qui ſenſim ſenſimque perit. Quodſi in morbis debilitas iſthæc ad

gradum deliquii animi non pervenerit, virium tamen omiſſio adfuerit, pariter animus ægroti à cordialibus erigitur; adeò, ut motus extraordinarii, qui ad morbum debellandum valde remiſerant, vivide iterum reaſſumantur & continuent, teſte pulſu, ante parvo tardove, nunc magno & celeri.

§. 9. Veteribus cordialia memorata habebantur calida in 1. 2. 3. gradu, hinc effectum dicebant conſiſtere in calefaciendo. Recentioribus placuit vires derivare, vel quia immediatum cum ſpiritibus animalibus habeant commercium; vel quia ad hos generandos ſint apta; vel quia particulis ſulphureis & volatilibus mercurialibus & ſpirituoſis, obtuſos jam & non ſufficienti quantitate vigoratos nunc magis rarefaciant; vel, quod de externa applicatione præſertim monent, quia ſpiritus moveant in extremitate nervorum reperiundos & juxta ſe invicem locatos, qui abhinc ad usque alios transferant motum.

§. 10. Celerrima, quæ à Cordialibus vere talibus fit refocillatio, omnem hypotheſibus his aſſenſum præcludit; quandoquidem intra tam breve temporis ſpatium, ut concalefiat ſangvis, ut ſpiritus generentur, ut ſangvis rarior fiat, ut motus per tot contiguos ſibi ſpiritus hinc inde obtineat, intellectu arduum eſt. Accedit, quam doctrina de ſpiritibus animalibus vacillans pro fulcro aliis hypotheſibus eſſe nequeat: &, quod à graveolentibus fæminæ æque refocillentur ac ab odoratis viri, cum tamen illa ſpirituum generationi inſervire nemo auſus ſit, ut affirmaret.

§. 11.

§. 11. Faciliorem de efficacia Cordialium nobis formabimus conceptum, ſi attenderimus ab aſſumptione vel admotione eorundem langvidis obvenire, quod graviter decumbentibus ab acceſſu inopinato amici jucundi: vel quando His re quadam anxie deſiderata frui conceditur. Prouti enim hi inde ad ſe redeunt, & , ex loquendi vulgari formula, reviviſcunt, non minus in langvoribus, qui magis tamen ab omiſſione qvam amiſſione virium, ſicubi cordialia acceſſerint, habentur ut grata ſubſidia, &, ut intimius penetrent, fiunt niſus.

§. 12. Confirmantur hæc phænomenis à cordialibus obviis & in hiſtoria allatis. Omnium primo *redit* ægro *Animus*, à quo cura corporis relicta in tantum iterum ſuſcipitur; inſtruuntur iterum ſenſus in organis ſibi dicatis, unde *tactus, viſus, auditus;* circa præcordia ſangvis hærens truditur vivide magis per reſpirationem protenſam ſub inſpirando, ex quo hæc *ſuſpirioſa*, ad circumferentiam; ex quo *calor* redit in artus. Quod ad *motus artuum intenſiores* attinet, dum hi ad ultimos conatus pertinent, quibus anima ſibi in anguſtiis ſubvenire tentavit, remittant neceſſe eſt, redeunte ad ſe illa & placidius in corpore diſponente. Fibris tamen per motus illos violentos valde tenſis tempus concedendum, quo ad tonum ſvetum redeant; ſub quo *dolor contuſorius* in illis percipitur, quoties in motum etiam ordinarium vocantur; quem *langvoris* nomine æger exprimit, ſed qui paulatim reſtituto tono perit.

§. 13. Ac vero itidem ab acceſſu gratiſſimi hoſpitis, quas turbas anguſtiæ rerum intulerunt, remittunt,

 ut

ut conſilia violenta ceſſent, tranquillitas vero redeat; imò ſicubi labore opus eſt, ut negotia imminentia ardua expediantur, multum ad ſucceſſum optatum amici talius præſentia facit: eſt, quando ex oblatione cordialium ſive interna ſive externa vigor redit, quod redeat quoque *animus* in ſalutem corporis *excludendi res noxias* hic illic in corpore hoſpitantes; & quia *ſangvineis* & *phlegmaticis* demiſſio animi magis frequens, in his à cordialibus nova oppugnatio morbi eſt magis ſolennis, ut excitato motu ſangvinis vividiori, conſilia ſalutaria de morbo ſuperando obtineant. Ex ſangvinis ergo motu langvido in vividum mutato *pulſus* variat, ut *parvus* in *magnum*, *tardus* in *celerem* tranſeat.

CAP. II.
DE
Medicamentis Anodinis.

§. 1. *Anodina*, item *antiſpasmodica*, *paregorica*, *nervina*, *carminativa*, hæc dicuntur Medicis à quorum uſu tam interno quam externo extraordinarii motus in toto corpore vel hujus partibus, communiter, ſine ſtupore tamen, remittunt aut ceſſant.

§. 2. Solent vulgo ad anodina referri *narcotica*, quod ab horum exhibitione motus inſoliti qvieſcunt; nec tamen commode, quia fit cum ſtupore. Nec ad claſſem anodinorum pertinent *adſtringentia*, qvibus titulus *roborantium* datur: nam ab his ſolatium eſt momentaneum & infidum. Qvibus antiſpaſmodicorum titulus jure competit, hæc cauſas materiales, motuum doloroſorum an-

anſas auferunt. Qvandoqvidem autem motus tales ſtrictorii nunc ex conſuetudine frequenter recurrunt, nunc, præter quod materialis cauſa illud velit, gravius inſtant; nunc materiali cauſa remota adhuc continuant; eſt quod remedia anodina ſint omnia & qvævis, qvæ ſub his caſibus halcyonia afferunt. Eſt vero ex authoritate Clinicorum latiſſimus talium Catalogus, & qvia diverſi etiam uſus, diſpeſcuntur in anodina *interna* & *externa*.

§. 3. Ad interna anodina ex Regno Vegetabili referuntur, ex Radicibus, *rad. acor. galang. Zedoar. carlin. pimpinell. alb. angel. pœon. Fœniculi, doronic.* Ex herbis & foliis, *Chamomilla* vulgaris & romana, *menth. polium montanum, pulegium, anethum, ſerpillum, Origanum, ſatureja, calaminth. ſalvia*; ex Foliis, *folia lauri*; ex floribus *Flor. Chamomill. Melilot. crocus, anth. ſalv. lavendul.* Ex Seminibus, *ſemen aniſi, fœniculi, carvi, cumini, ammeos, apii, dauci, petroſelini*; Ex Baccis, *baccæ lauri*; Ex Corticibus & Lignis, *Lign. ſaſſafr., cortic. tamariſci, aurant., citr.* Ex Gummatibus & Reſinis, *Reſina pini, gummi. ammoniacum, Galbanum, maſtich. Opoponax.* Ex præparatis, *Electuarium è baccis lauri*; Ex aqvis, eſſentiis, extractis, ſpiritibus, quæ ex prædictis radicibus, herbis, ſeminibus ſunt lege artis præparata, qvibus adde *Tincturam Tartari* &c. E Regno animali in ſubſidium veniunt *lumbrici terreſtres, formicæ, caſtoreum, zibethum, crania animalium*, & qvæ ex his officinæ ſervant. Regnum autem Minerale promit *Cinnabarim nativam, ſuccinum, ſulphur, nitrum*, & ex his præparata.

§. 4. Nec deſunt Decompoſita anodina virtute nota, in genere *aquæ carminativæ*, *aqv. hirund. c. caſtor.*, *aqv. vit. Mathiol. compl.*, *pulvis marchionis*, *ſpecificum cephalicum*, *ſpecies aromaticæ* varii generis, *ſpiritus acidodulces* ex nitro, vitriolo, &c.

§. 5. Quoad anodina externa, his multum convenit cum ſic dictis *emollientibus*, de quibus poſtea; pariter ac e regno vegetabili *mucilagines*, *olea expreſſa*, cum herbis *cocta* & *deſtillata* huc faciunt. Regnum animale *lacte*, *pinguedine*, *axungiis* animalium, *ſpermate ceti*, *oleo ovorum*, ad ſedandos dolores præſto eſt.

§. 6. Decompoſita officinalia huc facientia proſtant ſub titulo *Ungventorum*, *Emplaſtrorum*, *Electuariorum*, nec *Theriaca* vel *Mithridatio* excluſis. Inter Euporiſta excellunt generatim *calida* impoſita: ſpeciatim veſica *lacte calido* plena, *ſtercora* & *omenta* animalium, *mica panis albi fervidi*, *avena decorticata* in lacte cocta, *ſacculi avena* pleni.

§. 7. Qvo vero Hiſtoria phænomenorum ab antiſpasmodicorum uſu conſtet, notandum, ſi aſſumpta fuerint, non longe abhinc lenis per corpus ſe diffundit calor, qvem afflicti diſtinguere norunt à calore, qvem dolores attulerunt; mox dolorum intenſiorum remiſſio, animus magis liber. Reſpiratio ante difficilis fit magis libera. Ructus nunc per ſuperius tendunt, nunc per inferius guttur; ſomnus obrepit ſatis placidus, niſi quod concuſſiones nunc totum corpus, nunc membrum hoc illudq;, quod doluit, vexent; aliqvando dolores ab anodinis increſcunt. Quod ſi dolores in aliquibus morbis

non continui, ſed per intervalla ſaltem graves, modo non materialis cauſa ſubſit, & hi rarius recurrunt & mitius; inſeqvitur aliqvando diaphoreſis adaucta & urinæ largior fluxus. Quando externe admota ſolatio eſſe debent, calor externus, frictio, item frigoris fuga admodum conferunt. Eſt vero illius ſolaminis criterium, ſicubi ſub externo uſu blandus caloris ſenſus in parte affecta percipiatur, hæc fiat mollior & ad motum ſvetum ſuſtinendum habilis magis. Solet eqvidem dolor ab uſu illorundem increſcere, ſed modo tumor partis dolentis acceſſerit, eò ſecurior medela.

§. 8. De modo operandi varia fuit authorum mens. Veterum nonnulli anodina iſthæc dixerunt in primo gradu calida; alii temperata, blande calida & mollia, jucundam & ſvavem ſenſationem inferentia; Reliqvi affirmarunt, temperiei eſſe noſtro corpori ſimillima, quæ familiaritate ſua foveant & demulceant, calore blando meatus referent, ex tenuitate ſubſtantiæ ſubire partem, quo minus dolori apta ſit, laxare eandem, emollire &c. Recentiores putant, blando calore mollibusque ſuis partibus humores dolorificos partim diſcutere, partim attemperare, & ſic vehementiorem & moleſtum partium motum auferre vel imminuere.

§. 9. Modo non omnes hi in particularum anodina conſtituentium potentia alleganda ſubſtitiſſent, non adeo nulla dici poſſet illorundem ætiologia. Omne quippe ſolatium, quod ab anodinis internis corpus experitur, eſt ex æſtimio grato eorundem, ut non modo facile tolerentur, ſed de qvorum intimiori acceſſu P. C. C.

gau-

gaudet, ut pro hoc obtinendo ſtricturæ fibrarum carnearum, membranacearum, nervoſarumque remittant, à quibus fuit dolor.

§. 10. Quoad efficaciam anodinorum externorum, quia dolores circa extrema & in circumferentia corporis, materiam quandam noxiam reſpiciunt excludendam, quæ vel ob ſui viſcoſitatem, vel viarum denſitatem arctiori fibrarum ſtrictura opus habet, quo excludatur: eſt quod materia attenuata excluſio acceleretur, ut hac ſublata preſſiones, tenſiones moleſtæ remittant ac ceſſent, doloroſi ergo ſenſus ſileant.

§. 11. Sed ad Hiſtoriæ evolutionem. *Lenis* iſte *calor*, quem afflictus ab aſſumptis anodinis percipit, eſt teſtis jamjam ſuſceptæ diſtributionis medicamenti tam grati, oriturque, partim, quia pro diſtributione per corpus eo celerius peragenda ſangvinis circulus paulo acceleratur; partim quod actu jamjam ſtricturæ partium remittunt, quarum ergo hinc inde in corpore ſangvis minus libere influere, nec ergo corpus undique æqualiter incaleſcere potuit. Longe verò acceptior talis calor, ac quem regnantibus doloribus ægroti percepetunt; qui inæqualis, ebulliens, inconſtans & anxietate gravis, quando ille *æqualis, conſtans* & *reficiens*. Vel maxime remiſſio hæc ab anodinis ſperanda, quando, citra præſentiam materiæ noxiæ, tenſiones tales fiunt; aliter ſi quidquam in meditulliis hæret, quod ſui vult excluſionem. Nam in hoc caſu, anodinorum acceſſu robur accedit, ut tenſiones non modo ad intentionem excluſionis obtinendam continuent, ſed augeantur aliquando.

do, ut obtineat, quod de aliis generoſis medicamentis ſchola medicorum fatetur, ſi non adjuvent, quod nocere magis videantur. Hanc tamen ſpem ex augmento tali capere poſſunt & medicus & æger, modo materialis cauſa apta ſit, ut excludi poſſit, vel viæ patulæ per quas abeat, quod citior & conſtans magis dolorum remiſſio & afflictæ partis reſtitutio.

§. 12. *Somnus*, qui anodina inſequitur, ſtatim ac ab his ſtricturæ remiſerunt, teſtatur de conſiliis Principii conſervatorii, tenſis ſatis fibris & ſangvini agitato otium permittere, quo in ſtatum priſtinum redire queant, id quod ſub quiete & abſtinentia ab objectis ſenſus laceſſentibus commodiſſime fit. Modo quod recordatio periculi exantlati, nec dum ſatis ſuperati, quietem hanc interpellet, ut cum impetu priſtinæ ſtricturæ repetant, & pro diverſo gradu nunc *totum corpus*, nunc *pars quondam affecta contremiſcat*: ſed per momentum ſaltem.

§. 13. Quando ſtricturæ illæ doloroſæ canalem *inteſtinorum* vel in ſuperiori vel inferiori tractu vexaverint, quod in tubo hoc vitioſa adſunt: aſt vero per illas quædam aëris per inteſtina ambulantis portio incluſa fuit remittentibus ſtricturis aër in majorem libertatem reſtitutus, magno conatu exitum quærit, & qua data porta, cum ſtridore prodit, *ructuumque* ac *bomborum* author.

§. 14. De *Reſpiratione*, quare dum ante acceſſum anodinorum fuit inæqualis, ab horum exhibitione fiat *libera magis?* non eſt ut moneam, quia ejus fata à motu ſangvinis libero, aut per ſtricturas doloroſas variato, inti-

me dependent. His ergo ceſſantibus, iſto iterum placide per vaſa decurrente, illa quoque ordinaria. Difficilior haberi poſſet ætiologia *majoris fluxus urinæ & ſudoris* eruptio, ab anodinis bene cedentibus, niſi hæ binæ excretiones ſub his modo momentis occurrerent, quando per tempus ſubactionis materiæ noxiæ in viſceribus, ne fluida ad hanc accelerandam deficerent, halituoſa excretio per cutem & aqueorum defluxiones per renes fuiſſent in tantum ſuſpenſæ; à ſtricturis vero peractis, liberæ curſum ſuum continuare & moram copia excluſionis compenſare valerent.

§. 15. Tandem ad ætiologiam *commodorum* ab *anodinis externis* in hiſtoria allatorum. Non parum ſane ſubſidii illa capiunt à *calore externo* & *frictione ſocia*, quia ad materiæ ſub cute hærentis promptiorem diſcontinuationem & viarum illic ſitarum reſerationem faciunt. *Emplaſtra* pariter conferunt, & arcendo frigus externum & detinendo fluida, quo ad diluitionem materiæ faciant, ſub quo momento, ſi emplaſtris immixta fuerint materiæ noxiæ incluſæ attenuationem reſpicientia halituoſa, auxilium eò certius.

CAP. III.
DE
Medicamentis Specificis.

§. 1. *Specifica* item *ſingularia*, *appropriata*, talia Medicis veniunt remedia, à quorum uſu magnus, certus & exquiſitus effectus in certa morbi ſpecie inſequitur.

§. 2. Diffuſus foret labor, ſi quando ſcriptorum ſequi

qui catalogum vellem, qui cuivis parti, imò particulæ corporis, tribuunt *ſingularia*, ut & contra quemvis vel minimum morbum ſpecificum ſibi conſtare remedium magna fiducia afferant; adeo ut ex tali jactantia nonnulli commoti fuerint affirmare, nulla dari ſpecifica. Nec mens eſt cum his facere, qui ex amore in ſpecifica titulis *cephalicorum*, *ophtalmicorum*, *cordialium*, *ſpleneticorum*, *ſtomachicorum*, *hepaticorum*, *hyſtericorum*, officinas inſtruunt, quaſi hæcce ſingularem & inſitam cum *capite*, cum *oculis*, cum *corde*, cum *liene*, cum *ventriculo*, cum *hepate*, cum *utero* familiaritatem colant, ut labefactatis ſolatio ſint; prudentioribus in ſcientia medica iſthæc hodie ſordent. Sufficiat ex farragine iſthac ſelecta afferre, quorum effectus innotuit magis & experientia quotidiana adhuc dum roborari dicitur.

§. 3. Quoad remedia è regno vegetabili laudatur *Iſatis* in ictero, *mentha* in fluxibus alvi, *millefolium* in moliminibus hæmorrhoidalibus, *chamomilla* in doloribus abdominis, *hyſſopus* in aſthmate, *ſambucus* in eryſipelate, *fœniculum* in tuſſi quavis, *pulegium* in tuſſi convulſiva, *ſemen cardui Mariæ* in pleuritide, *cortex chinæ* in febribus intermittentibus, *pœonia* in epilepſia puerorum, *ſemen hyoſciami* in hæmoptyſi, *nux moſchata* in ſiſtendis fluxibus alvinis, &c.

§. 4. E regno animali extolluntur quævis ex animalibus deſumpta in motibus convulſivis: ſpeciatim *ungula alcis* & *cranium humanum* in epilepſia, *mandibulæ lucii piſcis* in pleuritide, *teſticuli equi*, item *caſtoreum* in morbis uterinis, *album græcum* in vitiis faucium, *caro viperina* in lepra, &c.

§. 5. Regnum minerale largitur *nitrum* in periodicis inſultibus cum febre ſtipatis; *lapidem hæmatitem* in fluxu narium, *martem* in malo hypochondriaco, &c.

§. 6. Ad euporiſta ſunt referenda *amuleta*, *periapta*, *pentacula*, v. gr. *lapis aquilæ* femori alligatus ad partum difficilem; nec non *roſa hierochontica* in manu parturientis ad excluſionem celeriorem fœtus; *cingulum è corio humano* ad eundem finem; impoſitio *pilorum canis rabidi* contra hujus morſum.

§. 7. Hiſtoria phænomenorum à ſpecificis adhibitis in his momentis abſolvitur, ut efficaciora ſint in morbis habitualibus, quam aliis, corpore prius præparato, tunc vero & motus & fluxus, & excretiones extraordinario modo moleſti ſileant aut pereant, citra evacuationem quandam ſenſibilem, utplurimum cum animi redeunte vigore & corporis alacritate.

§. 8. Ætiologia veterum provocavit ad ſpecificorum agendi modum occultum & inſitam illis ſingularem proprietatem, quæ ad qualitates quatuor reduci nequeat. Recentiores occultarum allegationum infenſiſſimi hoſtes modum operandi diverſimode applicare ſeduli fuerunt. Horum alii ſpecificis tribuerunt *ſpiritum inſitum*, quo medicamentum ad locum determinatum tendat & opem afferat: in quo ſignaturam præire dixerunt. Hunc ſpiritum variis porro nominibus decorarunt; nunc vocando *aſtrum ſeminale*, nunc *ideas rerum ſeminales*, nunc *formam magneticam*, nunc *productum ſeminale*, nunc *poteſtatem dotalem*, *fermentum*, &c. Quidam ſpecificorum energiam ſtatuunt reſidere in contra-

traria cauſæ morbificæ particularum figura atque ſtru-
ctura, ita ut illarum conjunctione nova emergat figura ac ſtructura à ſtatu naturali non aliena; vix aliter, quam acceſſus particularum mollium & flexibilium aſperitatem rigidarum particularum emendet ac tollat, ſicque ſpecificorum occurſu particularum lædentium & morbos inferentium figura una cum virtute deleteria, ab illa dependente, mutetur ac invertatur. Sunt qui *alcali ſpecificum* affectus ab acido ſpecifico compeſcere arguunt. Nec deſunt, qui *ſulphur ſubtile vaporoſum* in ſpecificis effectus horum vocant authorem, cujus blandæ exhalationes nervis ſeſe inſinuent & per poros in ſangvinem tranſeant rarefactione ſua nimium fibrarum muſculoſarum, & in meningibus arteriarum ſubſultum impediant i. e. motum ſyſtalticum arteriarum & fibrarum, à qva ſyſtole dependet motus progreſſivus extraordinarius.

§. 8. Hæreo, annon majores debeantur laudes veteribus, qui difficultate ſcrutinii de modo ſpecificorum operandi preſſi, ingenuè confeſſi ſunt, ſe neſcire illum? ac quod Chymiam deperientes, metaphoris, ſimilitudinibus ac amphiboliis verba lectori dederint. Nec ſpes ſupereſt, à particularum in ſpecificis figura, ſitu, hinc efficacia, lumen quoddam exſpectare, quamdiu inter poſtulata ſunt, ſpecifica in ſubſtantia ad locum affectum pervenire, & tot illis eſſe vaginas, quot ſufficiant ad pungentes in parte affecta gladiolos recondendos. Pathologia ab acidis exſpiravit quoque, quo minus antacida ſpecificorum virtus allegetur.

§. 9. Ante ergo, quam mentem meam pro phæno-

menis in hiſtoria allatis exponam, præmittendum eſſe judico, multa haberi & appellari ſpecifica, quæ non ſint, aut quorum modus operandi ex aliis fontibus fluat. Nam *martialia, chinata, milleſolium*, quia inter adſtringentia locum obtinent, effectus aliorum adſtringentium inſtar in primis viis inferunt, foretque *pulvis corticum quercus* alias etiam ſpecificum ſedativum, a quo motus ſtrictorii æque ac ab illis compeſcuntur, ſi inteſtina vexent. *Mentha* porro, & *chamomilla, nux moſchata* ad carminativa nemo non retulerit, æque ac *Iſatis*, *Lapis Lyncis* ſunt inter diuretica; *ſambucus*, *ſemen cardui Mariæ* inter diaphoretica; *album græcum* ad nitroſa; *nitrum* ad intenſe diluentia pertinet. Pariter de illis dicendum eſt quæ *§.* 6. recenſita ſunt, quod in phantaſiam agant ac fiduciam inſinuando plus penes credulos & credulas ut hic operentur, animam addant, quam quot ſint in ſe ex qualitate phyſica efficacia.

§. 10. Quod ſi jam quæ hiſtoria habet de ſpecificorum bono ſucceſſu, bene ponderaverim, hunc in *omiſſione ſtricturarum* hactenus vel ex conſuetudine circa certa tempora, vel ſub certis cauſis occaſionalibus *ſolennium* conſiſtere video, ut generatim coincidat cum anodinorum virtute; in hoc tamen diſcrepet, quando ab illis ſtricturæ modo oriundæ ſilent, ſint in quacunque corporis parte, à ſpecificis non niſi quædam tollantur & ſpecialiſſimæ: item, quando ab anodinis ſit vel momentanea requies, licet cauſa nociva nondum fuerit remota, à ſpecificis tamdiu nullum ſolatium, quamdiu vitioſa adſunt, qvæ ſtricturas & motus ingratos ſtimulant.

lant. Merito ergo, qui à ſpecificis ſibi auxilium promittunt, habent, ut quicquid noverint vitioſi, ſive in fluidis ſive in ſolidis partibus hoſpitari, ut anſam malorum ante removeant, quam ad illa convolent. Quodſi porro in diſcriminis hujus rationem deſcendere integrum, quando de moralitate individuali P. C. C. non niſi à poſteriori, quæ conſtant, pateſcunt, ſpecifica dixerim inter valde grata ſibi eſſe medicamenta & quando circa illa tempora accedunt, quo incipere ſolent motus habituales, ut occupent illam, quo minus ad motus conſuetos jam redeat; vix aliter ac novimus objecta grata, v. gr. *luſum*, *muſicam* ac *colloquia ſvavia* paroxyſmos febriles poſſe ſuſpendere, in ſenſibilioribus penitus arcere, quo minus redeant. Complacere vero ſpecifica oblata, ex vigore animi colligere eſt, qui uſum excipit, quando effectus ſperatus inſequitur.

MEMBR. II.
DE
Medicamentorum Adjuvantium Operationibus.

§. 1. Conſtat inter omnes Clinicos, quam Principium corporis conſervatorium, etſi omnibus viribus ſecretionem & abhinc excretionem materiæ corpori damnum aut afferentis aut mox allaturæ moliatur & in hoc negotio juſto ordine & debita methodo procedat; non raro tamen voto ſuo & fine deſiderato excidat; vel quod materia illa ſecretioni non obtemperat,

ut

ut relegari queat, vel quod viæ excluſioni deſtinatæ arctiores quam ut transire illam permittant. Eſt ergo ſubſidiis à Clinico ſuppeditandis opus, quo quæſita ſalus tuto, cito & jucunde obtineat.

§. 2. Medicamentorum itaque in hoc membro memorandorum reſpectus generalis huc vergit, ut Principium C. C. in moliminibus ſuis adjuvent, & promovendo ſecretionem per materiarum removendarum majorem diſcontinuationem, hinc aptitudinem ad excludendum & per viarum anguſtarum dilatationem, quo per has excludi & effluere eadem poſſit; ac undique opem ferant, ut juſta conſilia ſua quam prope licet, effectu ſperato beentur.

§. 3. Magnus equidem hic foret catalogus, ſicubi plurimorum materiam medicam tractantium veſtigia ſequi mens jam eſſet; ſed quia e. gr. *cephalica* ad cordialia & antiſpaſmodica, *ophtalmica* ad repellentia & cathæretica, *otica* ad diſcutientia & cephalica, *lithontriptica* ad diuretica &c. pertinere probatu facile eſt, mentionem potiſſimum faciam, quorum operationis modum exponere juvat, *Bechicorum*, *Aperientium*, *Abſorbentium*, *Præcipitantium*, *Diluentium*, *Febrifugorum*, *Anthelminticorum*, *Emollientium*, *Vulnerariorum*, *Cathæreticorum*, & Colophonis loco *Coſmeticorum*.

CAP. I.
DE
Medicamentis Bechicis.

§. 1. *Bechicorum* item *Thoracicorum* nomen his medica-

dicamentîs detur, à quorum uſu interno tolluntur infarctus in bronchiis, & viæ aëris lævigantur.

§. 2. Vocantur quoque *arteriaca*, *expectorantia*, *pnevmonica*, *anacatarctica*; nec eſt ut ſcrupuloſe illa inter diſtingvamus; in hoc centro enim conveniunt, ut ab illis viæ aëri pulmones ingredienti ſint magis patulæ, &, ſi qvæ vitioſa in via hæſerint, blande removeantur.

§. 3. Haud tamen de nihilo eſt hoc diſcrimen, quod alia bechica ſint *attenuantia*, alia *incraſſantia*; nam ita ſe res habet, ut à quorundam ex illis uſu tenuiora rejiciantur, ab aliorum vero aſſumptione ſpiſſiora per trachæam excludantur. Ad hanc ergo differentiam de illis quoque agendum erit.

ARTICUL. I.
DE
Bechicis attenuantibus.

§. 1. Sub titulo hoc includuntur pharmaca, à quorum uſu interno, humores lenti, qui vias aëris in pulmonibus obſident, fiunt liquidi magis, ut rejici cum aëre exeunte queant.

§. 2. Ex regno Vegetabili in hunc ſcopum præſcribuntur ex Radicibus, *Radix ari*, *enulæ*, *ireos*, *ſcillæ*; ex herbis & foliis *adianthum*, *hyſſopus*, *pulmonar. arbor. marrub. nicotian.* Ex floribus, *flor. ſcabioſ. bellid. crocus.* Ex ſeminibus *ſem. eryſimi*, *aniſi ſtellat. braſſicæ*, *fœnic. urtic.* E fructibus, *ficus*, *ſiliqva dulcis.* E lignis, *lign. ſaſſafras*, è Gummi-Reſinis, *gummi ammoniac. Benzöe.* Spe-

ctant quoque huc ex modo allatis, quæ in officinis ſunt ſub forma *conſervarum*, *ſyruporum*, *conditorum*, *Loch*, *rotularum*, *extractorum*, *eſſentiarum* parata.

§. 3. Regnum animale habet *mel*, *Sperma cetis*, minerale vero *ſulphur* tantum, & qui ex hoc fiunt, *flores*, item *lac ſulphuris*.

§. 4. Inter decompoſita officinalia huc facientia extolluntur *oxymel ſimplex* & *ſquilliticum*, *Loch de caulibus*, *de pulmon vulpis*, *de ſcilla*, *ad aſthma*, & pleraqve ſub titulo *aſtmaticorum* proſtantia.

§. 5. Hiſtoria operationis eorundem hæc eſt. Ab uſu paululum continuato reſpiratio fit facilior; ſonus aquæ ferventi in pectore ſimilis remittit, & ſtrepitus creperi ceſſant; Tuſſis ſi ſiluerit, redit, & ſi ſicca, jam evadit humida; nonnunquam tamen lenior tuſſis ingraveſcit magis, & magna ſaburra mucoſorum per trachæam excluditur, à quo corpus langvet admodum. Effectus magis ſenſibilis, quando ſub forma Linctus ſenſim ſenſimque abliguriuntur, aut decocta ex illis largiter hauriuntur.

§. 6. Secundum doctrinam Veterum reponebantur inter calida in ſecundo & tertio gradu, ſimul humectantia; Recentiorum autem, illis tribuitur ſal quoddam volatile aut oleoſum balſamicum, ex quo incidant, diſſolvant & fluxiliores reddant humores lentos ac pituitoſos.

§. 7. Quandoquidem autem memorata bechica plura ſunt, à quibus vix lingva perceptis jamdum excretio, ſicque citra quod ſe contingant, humorum viſcidorum bronchia obſidentium attenuatio, abhinc excluſio;

ſio; figuræ vel qvalitati remediorum phyſicæ tribui effectus nequit. Potius ſubſidium, quod natura ex bechicis capit, in tribus momentis repoſitum eſſe colligo; *vel* quod ab illorum acceſſu niſus excretorii, ſi fuerint neglecti, iterum provocentur; *vel* ſerum in viis reſpirationi dicatis ubertim ſecernatur; *vel* per motum celeriorem ſangvineæ maſſæ, in tractu pulmonum circulatio etiam fiat celerior. Primum fit ab *acidis*, alterum à *ſacharinis* & *mellitis*, tertium à *reliquis* in catalogo bechicorum modo *memoratis*: quæ ſingula comprobabit evolutio hiſtoriæ.

§. 8. Dum Reſpirationis, præſertim Inſpirationis negotium in ſtatu naturali commode ſuccedit, quando nullæ remoræ in viis, quas aër in pulmones ambulandum habet, non parum hoc negotium prægravat infarctus bronchiorum, & magis, quo plures horundem ramuli humore glutinoſo fuerint repleti; difficilis inde reſpirationis actus ad ſenſum anxietatis usque. Utraque hæc moleſtia ceſſat, ſicubi lentus ille humor evacuetur. Evacuatur autem, ſicubi ex titillatione tracheæ, quod hanc in ſtatu naturali intus oblinit, humidum & in ramos deſcendit, majori jam copia ſecernitur, & ubertim magis defluit; hoc quippe accedente glutinoſi in ramis humores diluuntur, & à parietibus ſecedunt, ut aëri jam intranti ſubire profunde magis, & in actu exſpirationis, præſertim ter quaterve ſtudio reiterato, ſecum glutinoſa per trachæam auferre licitum ſit.

§. 9. Aſt vix quidquam majores moleſtias arteriæ aſperæ affert, ac quando acida intus illam afflixerint,

tam quoad laryngis interiorem ſuperficiem, quam reliquum ejus tractum. Tentat ergo, quando hoc fit, remotionem majori aeris & celeriori excuſſione, ſive tuſſi; Concuſſione hac ſimul humorum infarctus aguntur, ut ex profundis attolli & auferri queant. Tremulus iſte motus ſub ſono coquentis fluidi in pectore eſt ab aëre viſcidos humores ſubeunte quidem, aſt propter motus excuſſorii defectum ſecum minus debite auferente: qui ſtatim perit, quando conatibus expreſſoriis accedentibus tenax ille humor, jam fluidior, per trachæam attollitur & per os exſpuitur.

§. 10. Quam vero hæc commoda à bechicis expectorantibus oriunda bene ſe habent, ſicubi in cellulis pulmonum revera humor glutinoſus hæſerit & excludendus ſit; cedunt econtra in damna, quando nulla talis viſciditas bronchiorum anguſtias replet. Copioſior quippe, quæ occaſione illorum in tubo tracheæ fit ſeri ſecretio, dum in bronchiorum extremitates deſcendit, anſam glutinoſitati vitioſæ præbet, quam mucidum ex glandulis bronchialibus pro irrigatione ſemper, placide quamvis, deſtillans, auget, ut tuſſi pro liberandis ab illis tubulis opus ſit. Contrahitur hinc ex bono hoc ſucceſſu & crebriori ſolatio facile habitus, ut ad pulmones mucoſa etiam ablegentur, quæ per alia loca eſſent excludenda. Ratio hinc patet, quare à bechicis attenuantibus aliquando tuſſis levis adeò increſcat, ut metus ſit phtiſeos?

§. 11. Proveniunt modo adducta commoda incommodave ab uſu bechicorum, qvando ſub forma linctus,

tro-

trochiſcorum, rotularum in uſum veniunt, quia ſub lento deſcenſu quicquam ſe tracheæ inſinuat, epiglottidem vexat & ſeri uberiorem affluxum provocat. Quod autem ſolatii à Bechicis ſub forma decocti vel pulveris ratione expectorationis eſt exſpectandum, conſiſtit in correctione lentoris maſſam ſanguineam inficientis, quo minus viſcida nec alia organa ſecretoria nec pulmones prægravent, quæ vero adſunt à tenuiore ſero fiant liquidiora, ad excernendum ergo, ſi niſus huc facientes acceſſerint, apta magis, ſed decoctorum horundem item pulverum non niſi tardus effectus.

ARTICUL. II.
DE
Medicamentis Bechicis incraſſantibus.

§. 1. Datur nomen *Bechicorum incraſſantium* his remediis, à quorum uſu interno, humores tenues in viis aeris redduntur ſpiſſiores & viſcoſiores.

§. 2. Regnum Vegetabile in hunc ſcopum ſervat ex Radicibus, *Radic. Tuſſilag. Alth. liquirit. Symphit. rapar.* Ex Herbis & Foliis, *Tuſſilaginem, altheam, Portulacam.* Ex Floribus *flor. papav. rhead. violar.* Ex Seminibus, *Hordeum, Semen Pſillii, altheæ, papav. alb.* Ex Fructibus, *amygdalas dulces, jujubas, paſſul. major. Sebeſten. dactyl.* Ex Gummi-reſinis, *tragacanth. gumm. arabic. maſtich. oliban.* Ex ſuccis *ſacharum.* Ex præparatis huc faciunt *conſervæ, aquæ deſtill. Syrupi* ex ſupra me-

moratis, queis jungi merentur *pulvis Haly*, *ſpec. diatragacanth. diapenid. trochiſc. bech. nigr.* &c.

§. 3. Regnum animale præbet *Lac*, *Butyrum*; ad Decompoſita pertinent *Lach de Pino*, de *portulaca*, *Balſam. Sulphur. Amygdalatus.*

§. 4. Quoad Hiſtoriam Operationis horum medicamentorum, acredo, ex qua interior trachæa ad moleſtam & irritam tuſſim concitatur, ab illis ceſſat; Quæ poſt longam tuſſim rejiciebantur limpida, conſiſtentiæ craſſioris evadunt, nec tuſſis adeo eſt infenſa. Hæc acuti antea ſoni, hinc vulpina dicta, mutatur in gravem, ut minus ſonora ſit. In uſu eorundem obſervatur abliguriendi ratio; dantur tamen aliquando ſub forma Emulſionis; aliquando parantur ex illis Suffumigia.

§. 5. Veteres habebant incraſſantia bechica pro frigidis; Recentiores tribuunt effectum particulis mucilaginoſis, glutinoſis, quibus Salia trachæam pungentia ſuis capſulis ſeu tot involucris includantur, ut irritatio ceſſet.

§. 6. Brevis eſſe potero, ſi dixero, non quævis frigida incraſſare, & quæ horum incraſſant, frigide non eſſe admovenda; niſi moleſtia inde major; nec incluſio particularum ſalinarum, ceſſantibus capſulis locum habet. Petenda eſt ſolaminis ratio, vel quod tenuis lympha in tracheæ cavitate à glutinoſis ſpiſſior deſcendendo evadat, nec amplius vellicet; vel quod Serum in maſſa Sanguinea cum lympha reddatur magis amicum & intimius mixtum, quo minus ſalſedo ſua tracheæ, dum in illa ſecernitur, ſit moleſtiæ.

§. 7. Dum quippe bechicorum horundem particulæ, quando ſenſim abliguriuntur, epiglottidem obliniunt & defendunt à ſalſo ſero ab uvula ſtillante, titillatio illa tuſſim provocans, locum non habet; Quæ vero ſenſim deſcendunt ex miſcela ſpiſſiora, ſub hac conſiſtentia iterum tuſſi elevantur & excernuntur. Quod ſonus acutus & clangoſus mutetur in gravem, eſt quod aer non adeo ad ſummitatem epiglottidis allidendum habeat, ubi olim titillatio; ſed major niſus ex imis pulmonum elevandi & rejiciendi, quæ vitioſe congeſta. Eſt pariter á ſuffumigiis medela, quia ſiccitas quædam cum aere fumo iſto gravido inducitur, qua ſtillicidium ſeri delabentis corrigitur; etſi hoc ſolamen ſaltem ſit momentaneum.

CAP. II.
DE
Medicamentis aperientibus.

§. 1. *Aperientia* item *deobſtruentia* hæc audiunt medicamenta, à quorum uſu, præſertim interno, vaſa, meatus & pori corporis obſerantur & fiunt patuli.

§. 2. Varia acceperunt nomina ex varia intentione, cujus ergo à Medicis in uſum vocari aſſolent. Vocantur quippe *præparantia*, *digeſtiva*, *attenuantia*, *incidentia*, *extergentia*, *abſtergentia*, *antiſcorbutica* &c. Quia porro in obſtructionibus lienis, hepatis, ita vocat vulgus congeſtiones huc factas, ſuppetias ferunt, *Splenetica*, *Hepatica* ſalutantur. Nec non in hac claſſe repetenda

tenda ex illis, quæ ab effectu *diureticis* & *eccoproticis* ſunt annumeranda.

§. 3. Largiſſimus eſt materiæ medicæ apparatus, ex qua potiora ſaltem adducere placet. Regnum ergo vegetabile offert ex Radicibus *Radic. aſparag. pareiræ bravæ, cichor. gramin., armorac. Chelidon. major. aſari, enulæ, morſ. diabol. Scrophular. Sarſaparill. Pimpinell. alb. rubiæ, ruſci.* Ex Herbis & Foliis *Abſinth. Thee, agerat. agrimon. bellid. beccabung. anſerin: cuſcut. adianth. nigr. cochlear. fumar. hepatic. nobil.* Ex Floribus, *Flor. accac. rec. bellid. cichor. lupuli.* Ex Seminibus *ſemen aſparag. card. mar. geniſt. hyperici.* Ex Lignis, *Saſſafr. Guajac.* Ex Corticibus, *Cortic. Capparum, coſt. arab. guajac. winteran.* Ex Gummi-Reſinis, *Gummi Ammoniac. Myrrham.* Ex ſuccis *Tartarum.*

§. 4 Inter præparata ſunt quæ ex memoratis herbis, floribus, radicibus ſub forma *infuſi* vel *decocti* parantur, item *Salia* per incinerationem facta, *Eſſentiæ, extracta* ex illa parata, *Species* pro *decocto aperitivo majori & minori.*

§. 5. E regno animali petuntur, quæ ſub *abſorbentium* & *præcipitantium* titulo nota; è minerali vero *martialia, mercurialia, nitrum*, & quæ ex his more chymico in forma pulveris vel liquida præparata extant, mediæ, ac vocantur, indolis: *acidulæ* item & *thermæ.*

§. 6. Inter decompoſita in uſum veniunt ex ſalibus *ſal ammoniacum, tartarus vitriolatus*, è pillulis, *pill. de ammoniaco, tartareæ* Quercetani, Schröderi; è Spiritibus, *Spiritus aperitiv.* Penoti, *nitri dulc.* è pulveribus *pulvis cachecticus* Quercet. &c.

§. 7.

§. 7. Quoad Hiſtoriam operationis, in confeſſo eſt, longiorem requiri & continuatum uſum aperientium, item, quæ ſub forma ſicca aſſumuntur, his fluida ſuperaddenda eſſe; præſtare vero ſub forma infuſorum vel decoctorum capere illa quam omnia alia; amara præripere palmam reliquis; Eccoprotica quoque ſi addantur, facere ad citam magis medelam; Tandem boni effectus indicium eſſe, ſi blandus calor per corpus ſe diffundat, item ſi lenis quædam eccriſis ſubſequatur, ſit per inteſtina, ſit per renes, aut ſit per cutem.

§. 8. De Veterum ætiologia conſtat, quod hujus claſſis medicamenta dixerint calida, & pro teſtimonio ad olfactum æque ac guſtum provocaverint; pro humorum hinc diverſitate, qui vel tenuioris eſſent vel craſſioris ſubſtantiæ, elegerunt in ſecundo vel tertio gradu talia. Voluerunt inſuper quædam hepati, quædam lieni magis dicata, quamvis hanc Sympathiam explicare haud valuerint. Recentiorum plurimi provocarunt ad particulas aculeatas, tenues, quibus in receſſus viſcerum penetrare, craſſos humores attenuare, ſicque humoribus vias parare, quo defluant, eſſet facultas. Nec omnes averſantur, appropriata quædam inter illa eſſe. Alii effectum ponunt in ſublatione ſpasmodicarum ſtricturarum, quibus humores hinc inde in ſecretione & excretione detineantur: hinc tonicorum nomen tribuunt.

§. 9. Siquidem languida admodum vis ab his medicamentis eſt, ubi vel maxime aperire deberent, v. g. in *obſtructionibus Scirrhoſis, vomicis, apoſtematibus internis*: imo plurimam partem nulla, quæ tamen non raro ſolis

naturæ viribus ſolvuntur; Fruſtraneum eſt ab illarum virtute ſive elementari ſive aculeata ſibi opem promittere, quin naturæ maxima debeatur laus, quæ per vias adæquatas remoram injicientia ablegat. Nec undiqve, ubi obſtructiones, ibi Spaſmos eſſe, affirmari poterit; dum in locis affectis nulli ſenſus doloroſi vel ſtrictorii, niſi cauſæ externæ celeriorem humorum per illa tranſitum cum impetu urgeant.

§. 10. Quantum Ego intelligo, præbent aperientia, dum in nutrimentum apponi inepta, naturæ ocaſionem ne ſub mora noceant, ut de excluſione ſtatuat, id quod non niſi preſſione per arctiorem fibrarum ſtructuram obtinendum. Dum jam in eo eſt, ut eadem cum ſangvine ambulantia per corpus & viſcera cogat, ſicque per loca ubi ex humorum viſciditate vel congeſtionibus tranſitus difficilior, arctiori preſſione & ſtrictura in illa agit, & inſimul in vitioſos incuneatos humores, ut abhinc ſæpius repetitis ſtricturis viæ reſerentur & fiant liberæ.

§. 11. Confirmant hanc ætiologiam phænomena ſub uſu aperientium in hiſtoria allata. Nam crebra doſium repetitione ante opus eſt, quam notabilis effectus ſe prodit; quandoquidem una vel altera maſſam ſangvineam adeo inficere nequit, vel tantam naturæ parare moleſtiam, ut ſtricturis huc ſpeciatim facientibus trudat & extrudat eadem, ut potius negligat, aut ſueta ſecernendi methodo illa eliminet. Pariter aperientia ſi ſub ſicca aſſumpta forma fuerint, copioſo liquore indigent, quo in ſangvinem ſubtiliores illorum moleculæ defe-

deferantur & intimiores abſceſſus perreptent. Quodſi vero ex toties repetito uſu fiant tædio & minentur noxam, eſt quod ſtricturas, ſub ſecernendo ſolennes, intendat aliquomodo, ad remotionem usque. Teſtatur de hac acceleratione blandus per totum corpus ſe diffundens calor, ſi bene aperientia ceſſerint. *Amara* inter aperientia ratione boni effectus prævalere abhinc eſt, quod hæc magis tædioſa arctiores deſiderent ſtricturas, à quibus meatus in viſceribus reſerantur, dum illa toties premuntur, quo tranſeant. In hoc momento *tonica* illa, quæ amaris tribuitur, *vis*.

§. 12. Roborantur hæc, ſi attenderimus, quam leniora purgantia vim aperientium intendere videantur: quia à Societate iſthac P. C. C. incitatur, ut de utrisque ex vaſis & viſceribus eliminandis ſtatuat, & quidem adauctis ſtricturis & preſſionibus fibrarum tam viſcera quam vaſa componentium. Accedit, quia ob purgantia diluenda & ad excluſionem diſponenda fluida majori numero in canalem inteſtinorum deſcendunt, de quo in capite de operationibus purgantium, inſimul ablegatio iſthæc vocat humores in partibus remotioribus ſtabulantes eò, ex quo congeſtio vitioſa in viſceribus levamen non leve accipit.

§. 13. Suffulcit tandem, quam attuli, ætiologiam ſalutaris Eccriſis, quæ aperientia inſequitur, ſicubi de bono horum effectu medicus certus eſſe velit. Sicuti enim reſerationes cutis & veſicam exonerandi motus, i. e. diaphoreſis & diureſis, à conſiliis naturæ, corpori his mediis conſulendi, dependent, merito colligitur, quan-

do eædem ab aſſumptione medicamentorum inſequuntur, quod itidem ſint conſectaria moliminum de illis, pro ſalute corporis, excutiendis & ab illis ſe, quam commode licet, liberandi.

CAP. III.
DE
Abſorbentibus & Præcipitantibus.

§ 1. *Abſorbentia* & *Præcipitantia* hæc ſalutantur medicamenta, à quorum uſu præſertim interno, ſi quis humorum vividior ſolito motus, vel in hac vel illa parte humorum ebullitio, blande ſedantur.

§, 2. Introduxit terminos hos nimius, qui olim regnavit amor in ſpagyriam, qui omnes voluit medicamentorum operationes comparare cum laboribus chymicis. Quando enim obſervarunt in vaſe quodam quod extracta vel ſolutiones continet, ſi diverſus vel ratione gradus vel ratione indolis liquor affundatur, quasdam partes relictis aliis fundum ſubito petere, voluerunt idem fieri in corpore humano, ut materia morboſa ab uſu præcipitantium è maſſa Sanguinea ſeparetur, & ad organa colatoria ruat, quo extra corpus ablegetur; porro ſicuti in laboratoriis chymicorum alcalia acidis addita hæc temperant & quaſi abſorbent, medicamenta hujus nominis ex mechanica pororum textura, Salia acria & acida Sanguinem inquinantia imbibere & corrigere profeſſi ſunt.

§ 3. Ignota ergo hæc titulorum pompa fuit veteribus; quæ vero ratione effectus huc ſpectare poſſunt, appel-

appellabantur *digerentia, præparantia, refrigerantia.* Recentioribus vero, quando pro ætiologia operationis modo allatæ ſtabilienda provocant, obſtat diſparitas, quæ inter labores Chymicorum artificiales & in certis vaſis peragendos, & hos motus, qui in corpore humano fiunt, intercedit; quandoquidem nec acceſſus iſte medicamentis conceditur in corpore, ut Sanguinem adeant, qualis in vaſis chymicis; nec humorum vitium ſemper eſt ab acido, quod ab ant-acidis præcipitari ſe patiatur; tum vel maxime nulla hic eſt proportio præcipitans inter & humores præcipitandos, vel abſorbens inter & abſorbenda.

§. 4. Non autem è Regno vegetabili tot pharmaca ſunt petita, quia chymici illo non adeo delectabantur, galenicam, ut ajebant, methodum medendi ſpernendo, quam animali & minerali. Abſolvuntur autem illa *tartaro* & variis ex hoc præparatis; qualia ſunt *Oleum Tartari* per deliquium, *terra foliata Tartari*, *Sal Tartari*, niſi *ſalia* per *incinerationem* parata addere velis. Aſt ex animali regno tanquam huc facientia petita ſunt quævis partes duræ animalium, *cornua, oſſa, dentes, ungulæ*, ſpeciatim *unicornu marinum, mater perlarum, margaritæ, mandib. luc. piſc. teſtæ ovorum, oſtrearum, conchæ, lapides cancrorum, dentali, entali, lapides percarum, carpionum, chelæ cancrorum*, & ex his diverſiſſima præparata, circa quæ experimenta abſorbendi & præcipitandi largius potuerunt inſtitui. Regnum itidem minerale ad operationes has obtulit perquam multa, *terras* quasvis *Sigillatas, cretam, margam, lac lunæ, unicornu foſſile, ſuccinum, cryſtal-*

lum, corallia, bolum armenam, martem; & ex præparatis *antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale*, & *bezoardica metallica* ex auro, luna, &c. paranda, *antihecticum Poterii, aurum fulminans, Eſſentias martis* vario modo præparatas; increvit hic catalogus tot decompoſitis titulis præcipitantium & abſorbentium, ex præſcriptione hujus vel illius medici fama incluti, in officinas receptorum.

§. 5. Quod ad *hiſtoriam operationis* attinet, non ab una doſi, ſed repetita, quædam ſe exſerit virtus; diluentia addantur neceſſe eſt, aqueæ præſertim indolis; & frigida magis quam calida; non tamen largiter ſed per vices aſſumenda, niſi in robuſtioribus. Si vel turbæ in canali inteſtinorum fuerint, quæ ſe in Sanguinem diffundant, vel in Sanguine juſto celerior motus, remittunt ſenſim ab illis, eccriſi quadam inſequente, inprimis in morbis ſic dictis bilioſis; item in morbis ab ira vel metuendis vel præſentibus, præſentaneam opem afferunt. Quodſi tamen diutius continuentur, negotium chyloſeos remittit, niſi vel eccoprotica, vel aromatica blandiora fuerint commixta.

§. 6. Cum apud veteres ætiologia horum medicamentorum ceſſet, quia, ac modo allatum eſt, Chymia experimentalis nondum patuit; & quæ recentiorum de operatione ſententia paulo ante allata eſt, ſed inſufficiens valde: Omne ſubſidium quod P. C. C. ab uſu ſive abſorbentium ſive præcipitantium capit, nec enim niſi gradu diverſo hæc inter eſt differentia, conſiſtit in bile, quæ in inteſtina defluit, & abhinc in Sanguinem, temperanda,

da, quo minus vel in canali inteſtinorum fermentationi nimiæ det anſam, ex qua doloroſæ, ſequelæ; vel in Sanguine celeriorem motum adaugeat. Confirmantur hæc, ſi attenderimus, quam ab uſu ſimplicis aquæ frigidæ, vel pro ſubjectorum teneritudine calidæ, eadem emolumenta exſpectari poſſint. Diluentia itaque, quando memorata medicamenta ſolatium afferre debent, accedant, neceſſe eſt; non modo, ut eorundem diſtributio ſit diffuſior, ſed miſcela cum bile, tenacioris conſiſtentiæ fluido, intimior. Dum porro confert admodum, quando per vices aſſumuntur, eſt quod non ſimul & ſemel intentio iſthæc obtineri vel poſſit, nam bilis continuo affluit; vel debeat, ne activitate ejus omni deſtructa reliqui actus vitales damna capiant. Moderanda illa ſaltem, ne ſub periculis vitæ jam imminentibus acceſſu ſuo libero oleum igni affundatur. Hoc quoque commodi inde P. C. C. capit, ut in tantum compoſitis turbis majorem habeat libertatem, dum molimina excluſoria inſtituit de cauſis malorum in corpore hoſpitantibus, per quandam viam ſibi commodam viſam ſtatuendi, ut excernantur.

§. 7. Quod vero hæc, de quibus ſermo, pharmaca, ſi vel magnis doſibus vel in una ſerie diu exhibeantur, chylificationem perdant, ex eo eſt, quia bili neceſſario ad chyloſin humido, nimium detrahunt, ut vel nulli cibi appetantur, vel, qui ventriculo traduntur, haud debite præparentur, ut in ſuccum & Sanguinem abeant. Convenit ergo, modo mala perpeſſa perierint, quorum ergo abſorbentia & præcipitantia, in forma pulverum

præ-

præſertim data, purgantibus adjectis tubum inteſtinalem ab his liberare, vel aromaticis blandis compactionem ex indole terrea facilem inhibere; quamvis ſub debito uſu neutrum ſit neceſſarium.

CAP. IV.
De
Diluentibus.

§. 1. *Diluentia* item *humectantia, ſitim reſtinguentia* hæc medicamenta audiunt, à quorum uſu interno maſſa ſangvinea fit liquida & ad circulum continuandum apta magis.

§. 2. Jungere hoc caput præcedenti de abſorbentibus & præcipitantibus placuit, cum jam dum in hoc allatum fuerit, quanta commoda ſimul cum illis afferant; ut conſtet, quantum in ſe ſpectata ſint in ſolamen naturæ & hujus juvamentum.

§. 3. Regnum *Vegetabile* largitur quoad ſimplicia ex ſuccis, *ſuccum betulæ, pomorum aurantiorum, citri, berberum, ribium, mororum;* ex præparatis aquas ex herbis ſic dictis frigidis deſtillatas inſipidas, item *roſarum, ceraſorum nigrorum, decoctum hordei*, & *infuſum theæ.*

§. 4. E regno *animali* huc faciunt *ſerum lactis, lac butyraceum, gelatinæ;* è minerali vero *acidulæ, thermæ, nitrum, ſpiritus acidi*, præſertim *nitri.*

§. 5. In genere huc faciunt quævis aquea, & quæ ſub forma *Juleporum, Emulſionum, Infuſorum, Decoctorum* ægrotis offeruntur; hinc inter evporiſta *vina* & *cereviſiæ tenuioris indolis* locum inveniunt.

§. 6.

§. 6. Quoad *Hiſtoriam*, redit ab illis animus ægrotantium ad ſe, vigor motuum vitalium increſcit, quæ decumbentes vexaverat ſitis ceſſat, calor intenſus plus minus remittit, nec raro ſudor citra anxietatem prodit.

§. 7. *Veterum* hypotheſis, ac ſi effectus diluentium eſſet à frigiditate in diluentibus, corruit inſtantia à diluentibus calidis deſumpta, à quibus itidem refectio, & à ſudoris eruptione, quam frigida impedirent. *Recentiorum* opinio, ac ſi ab aqueis, præſertim acidis accedentibus, nimius ſangvinis & ſpirituum fervor ſufflaminaretur, abhinc vacillat, quia pleraque inter allata, ſi tantum linguæ imponantur & quando in faucibus adhuc hærent, ad vigorem animi & corporis faciunt, quando ad ſangvinem nondum pervenerunt, vel, quos volunt, ſpiritus attigerunt; nec debilitas inſequitur, quod fieret ſpirituum activitate imminuta, ſed eadem potius aufertur ab acceſſu diluentium, ut vigor corporis redeat.

§. 8. Redit efficacia diluentium ad ſolatium, quod P. C. C. ab his capit in ſuis pro ſalute corporis ſusceptis moliminibus extraordinariis, adaucto ſanguinis motu abſolvendis, ad quæ fluor conſtans requiritur; vel ſicubi aliunde à motu corporis locali multum fluidorum in auras diſſipatum fuerit, ut horum defectus iterum reſarciatur.

§. 9. Nec enim vel moleſtum magis vel magis infenſum evenire poteſt, ac quando P. C. C. occupatum eſt in ſecretionibus & excretionibus extraordinariis vitioſorum, ac quando fluida, quæ medium neceſſarium ſunt,

deficiunt; quia ſub ſpisſitudine humorum nec aditus ad organa colatoria, nec tranſitus ſine multis preſſionibus peragi poteſt, ut ſpe collabeſcente voto potiundi, cura corporis abjiciatur & ſalus ſit in bivio. Quodſi vero acceſſu fluidorum ſive diluentium ſpiſſitudo illa tollatur, ut minori labore ad finem obtinendum opus ſit, redit animus, & continuantur pro ſalute motus tam ſecretorii & excretorii, teſte blando ſudore per cutem erumpente.

§. 10. Eadem refectio obſervatur à diluentibus, ſi quando per motum corporis adauctum adaucta transpiratione ſub forma ſudoris liquida è ſanguine in auram abeunt, ex qua fuga ſanguinis fluor imminuitur, ut circa motus vitales langvor, hinc corporis laſſitudo.

§. 11. Sponte inſimul ex modo allatis fluit ratio, quare ſitis intenſa valde, ſub circumſtantiis memoratis, à diluentibus remittat aut pereat, quæ admodum hactenus vexavit? qvia in deſiderio fluidorum pro corporis integritate conſiſtit. Imo, quia hoc deſiderium omnium primo in ore & faucibus ſe prodit, quo fluida, homine bene valente in magna copia confluunt, eſt quod etiam omnium primo hic tollatur, quando diluentia lingvæ imponuntur, vel in faucibus tenentur, ſicque vigor abhinc ſe porro per totum corpus diffundat.

CAP. V.
De
Febrifugis.

§. 1. *Febrifugorum* titulus his datur Medicamentis, à quo-

à quorum uſu inprimis interno, febres, præſertim intermittentes, redeunte priſtina ſanitate, remittunt & exſpirant.

§. 2. Non eſt, ut multus ſim, ſive in apparatu materiæ medicæ commemorando, qui diffuſus ſatis; vel in ætiologia operationis examinanda, quæ remediis antifebrilibus tribuitur, quæ diverſa admodum; ſive in febrium pathologia recenſenda, quæ nota ſatis. Nam quod ad febres acutas attinet, quæ ſub harum decurſu methodice offeruntur, ſunt memorata in Capitibus de abſorbentibus & præcipitantibus, item diluentibus; quæ vero febres intermittentes fugare ſolent, habentur in capite de aperientibus. Nec reticere poſſum, quam multa ex claſſe adſtringentium à vulgo inter febrifuga reponantur, nec quidem opiatis excluſis. Sed de omnium talium uſu fauſto & infauſto, quia ſcitu neceſſaria ſunt allata, illis jam ſuperſedeo.

CAP. VI.
DE
Anthelminticis.

§. 1. *Anthelminticorum* ſeu *vermes necantium* nomen his datur medicamentis, à quorum uſu tam interno quam externo, quacunque ſub forma hic fuerit, ſubſequitur lumbricorum per anum excluſio.

§. 2. In hunc finem habent officinæ è Regno vegetabili, ſpeciatim ex Radicibus, *Radicem carlinæ*, *Filic. dictamn: alb. enul.* Ex Herbis & Foliis *perſicariam*, *tanacetum*, *nicotianam*, *Sabinam.* Ex Floribus *flor. centaur.*

minor. tanacet. Ex Seminibus *Semen cinæ, lupuli.* Ex Gummi-Reſinis *Aloen, Myrrham.* Ex præparatis *aquas* ex *radicibus, herbis* & *floribus* modo dictis paratas, queis adde *aquam graminis, hyperici, Scordii;* Ex Extractis, *extract. abſinth. centaur. minor. nicotian.* Habent itidem olea cocta v. g. *abſinth. colocynthidos, rutæ*, quam deſtillata, qualia ſunt *tanacet. abſinthii, Zedoar.* et inter expreſſa *oleum perſicorum nucleorum, amygdalarum amararum*, tum quoque Eſſentias ex amaris varii generis compoſitas.

§. 3. Regnum animale ſuppeditat *lumbricos, raſuram C. C. Ebor. fel tauri*, & e numero præparatorum *C. C. uſtum, fel tauri inſpiſſatum;* Regnum autem minerale largitur *mercurium vivum, Corallinam*, & inprimis ex *mercurio* parata, item *cinnabarina.*

§. 4. Non deſunt quoque *Unguenta* à variis authoribus in hunc finem officinis commendata, ac quæ tanquam *evporiſta* umbilico imponuntur.

§. 5. Quoad *Hiſtoriam Operationis*, obſervatur ab anthelminticis interne datis, præſertim amaris quædam doloroſa ſenſatio quæ ſe per abdomen diffundit ſed tranſitoria, quam excipit excluſio lumbricorum ſive vivorum ſive demortuorum. Si purgantia fuerint immixta, felicior eſt hic ſucceſſus, item quando matutinis horis ventriculo vacuo propinantur. Aliquando repetitis ante doſibus opus eſt, quam excluſio ſuccedat. Externe admota anthelmintica infidi ſunt ſucceſſus.

§. 6. Veteribus, quibus perſuaſum erat, vermes procreari per generationem æquivocam, obſtetricante pu-

putredine quæ illos foveat admodum, anthelmintica dicebantur, quæ ſicca & calida, putredinem ergo in calido & humido proliferam arcerent & deſtruerent. Eligebantur vero amara primæ, ſecundæ & tertiæ manſionis pro vermium diſcrimine. Nec tamen non occultam quoque agnoſcebant qualitatem, quoad mercurialia inprimis. Recentiores, qui ſtatuunt vermes ex ſeminio & ovulis anima ſua foetis prodire, ut tamen mucus in inteſtinis reperibilis, & ex alimentorum reliquiis relictus, multum ad prolificationem conferat, anthelminticorum effectum quærunt in hoc, quod chymum viſcidum ac dulcem reddant fluidum magis & amarum; addunt acuere inſuper amara bilem, ſalia diluere, ſulphurea, quia acidæ proſapiæ, generationem ulteriorem præpedire, & mercurialia humores viſcidos reddere fluidos magis, quo minus apti ſint, ut excluſio verminoſa in illis ſtabuletur.

§. 7. Quamdiu de modo generationis lumbricorum nondum omnia conſtant, ſed experientia docet, quanta circa illam, dubia hactenus manſerint, nec operæ pretium erit ab illo lucem petere pro deſtructione per remedia. Sufficere poterit, ſi dixerim & per inductionem probaverim, anthelminticorum virtutem his binis momentis abſolvi, ut ab ingrato medicamentorum memoratorum in inteſtina acceſſu, ac amara, oleoſa & mercurialia vermibus ſunt, hi in his hærentes locum mutent & retrorſum magis ſe recipiant; & ut, ab amaris quam maxime, arctior tubi inteſtinalis conſtrictio illos ſenſim ſenſimque protrudat & excludat.

§. 8. Statim jam ratio patet, quare inter anthelmintica *amaris* primus ſit locus; quod lumbricos pellere & enecare dicantur ſiquidem utrumque, de quo dixi, momentum in medicamentis amaris locum habet, ut nempe vermes ſaporem ingratum ſubterfugiant, ſeſeque ad inteſtina craſſa recipiant, tum quoque amarorum intenſiorum interiorem ſuperficiem inteſtinorum moleſte alluentium, celerior excluſio per periſtalticum motum deorſum verſus fiat intenſior. Abhinc quoque eſt dolor ille momentaneus, quem verminoſi ab amaris aſſumptis per breve tempus perſentiſcunt, ſed abhinc fuga lumbricorum & excluſio certior ſperanda.

§. 9. Fluit porro ex jam allatis ratio, quare propinata hæc medicamenta ſi *ventriculo vacuo* oblata fuerint, certius ſpem medici & ægroti adimpleant? quia amarities, & quæ anthelminticorum indoles tædioſa lumbricis, ſeſe liberalius diffundit in inteſtina & horum laterna obducit, mox ergo ab animalculis percipitur, ut ad fugam hæc cogat; non enim cibis & chymo ſunt permixta, ut de amaritie ſua perdiderint. Quodſi vero animalcula iſthæc latebras ſibi in inteſtinorum tubo formaverint, nec compreſſio periſtaltica in illa adeo valet, nec anthelminticis liber eſt aditus; ex quo evenit, quod ad ſcopum obtinendum continuanda ſint eadem, quo totus inteſtinorum tractus illis inquinatus de loco in locum lumbricos trudat, ut hoſpitium mutent, & abitum quærant, aut quærere conſtringantur.

§. 10. Sociare *purgantia* cum *anthelminticis*, quod commodo maximo cedat, & quod *alöe* præ aliis laudes

in

in vermibus pellendis mereatur, eſt, quod propter purgantia excludenda tubus inteſtinalis ſtringatur arctius; quæ in inteſtinis hærent, cogantur foras, ſicque, qui jam in craſſa ſe receperunt magisque recipiunt, lumbrici, una ad excluſionem ſtimulentur.

§ 11. De anthelminticis externis non eſt. ut multa moneam, quia infida ab illis eſt operatio; qui vero ſucceſſus evenit, amariſſimis & purgantibus intermixtis tribuendus eſt, à quorum in inteſtina acceſſu, momenta ſupra allegata in ſenſibilioribus, quales infantes ſunt, aliquando ſuperveniunt.

CAP. VII.

DE

Medicamentis Emollientibus.

§. 1. *Emollientia* generatim hæc medicamenta vocantur, à quorum uſu, præſertim externo, ſi quæ hinc inde tactui ſe ſiſtit durities, nunc cum ſolutione continui, nunc ſine hoc fit mollior, & ad abitum magis apta.

§. 2. Dum in genere de Emollientibus ſermo eſt, huc faciunt *maturantia*, *ſuppurantia*, *digeſtiva*, quandoquidem quæ hæc inter differentia obſervatur, in diverſitate gradus operationis conſiſtit vel ipſo applicandi modo; ita ut *emollientia* in ſenſu ſtrictiori mitioris ſint indolis; hæc excipiant *maturantia*; ſequantur *ſuppurantia*; *digeſtiva* vero materiæ in vulnere vel ulcere hærenti tenaciori immediate apponantur. Et quantumvis emollientium internus quandoque uſus, clyſteres quippe emollientes frequentiſſimi in praxi clinica, vel

deco-

decoctnm ex quinque ſic dictis herbis Emollientibus in ileo à fæcibus induratis opem fert inſignem; tum quoque digeſtiva ſalutentur à vulgo hæc, quæ viam purgantibus in ſubducendo alvum parare debent, vel maxime tamen ſermo hic eſt *de uſu externo* & phænomenis ſub hoc in morbis obviis.

§. 3. Ad præſens ergo negotium pertinent ex regno vegetabili, ſpeciatim ex numero radicum, *radix altheæ, Lilior. alb., malv. Bryoniæ, cucum. agreſt. ireos noſtr.*, è numero Herbar. & folior. *atriplex, alth. branc. urſin. braſſ. bon. Henric. Chelidon. maj. Melilot. Parietar. Mercurial. Violar.* E numero florum, *flor. chamomill. Violar. Melilot. Verbaſc. Crocus.* E ſeminibus, *ſem. fænu græc. lini, malv.* E fructibus *caricæ pingues.* Ex Gummi-reſinis Pix, *therebinthina, gummi ammoniac. Bdellium, Galbanum, Opopan. Reſina vulgaris.* Inter præparata hujus regni ſunt *oleum olivarum* cum herbis ſupra memoratis *coctum*: item olea expreſſa *lini, amygdalarum dulcium*; Ex frumentis *farina orobi, hordei, avena decorticata.*

§. 4. Regnum animale depromit *Axungias* varii generis, & has inter *leporis, gallinarum, vulpis, hominis, urſi, taxi*, item *ſeba cervi, hirci, tauri* tum quoque ex præparatis *oleum ovorum, lumbricorum, ſperma ceti.* Adde *lac, butyrum, ceram.*

§. 5. E regno minerali præter *Petroleum* haud quidquam adeſt.

§. 6. Inter Emollientia decompoſita allegantur ex Emplaſtris, *Diachyl. c. gumm., de mucilaginib. de Melilot. de ammoniaco, de cicuta, de ran. c. mercurio, de ſperm. ceti,*

citri-

citrinum; Ex ungventis *ungvent. dialth. agripp. baſilic. aureum, digeſtiv.* tum quoque *balſam.* ſulph. locum hic ſibi vendicat.

§. 7. Ad Evporiſta paſſim *ſtercora* pertinent, inprimis *bubulum* & *columbinum:* porro *fermentum panis, mica panis albi* in lacte cocta, *veſica calido lacte plena;* in genere huc quadrant *anodina* externa & *purgantia draſtica* externe admota.

§. 8. Quia jam allatum eſt, quod Emollientia gradus in operando admittant, eſt hiſtoria de modo operandi eò inflectenda. Quod enim ad Emollientia in ſenſu ſtrictiori attinet, quibus nomen *malacticorum* quoque datur, ab his doloris ſenſus, quando imponuntur, fit remiſſior; fibræ distenſæ fiunt flaccidiores; tumor fit minor aut plane diſperit; aut ſi locus affectus ſtrictior, mollior fit & ſuaviter in altum ſurgit; accedat tamen, ſaltem effectum accelerat, externus calor; item frictio. *A Maturantibus* e contra dolor increſcit pulſu comite, tumor ſi nondum adfuerit, accedit; ſin vero adfuerit, fit major. *A Suppurantibus* tandem durus tumor evadit mollis, vel quoad totum ſui ambitum, vel, quod frequenter magis, quoad hunc illumve locum; contenta ad tactum fiunt fluidiora, ut digito prementi cedant; mox ruptura tumoris effluente intus contento humore; quod ſi jam *digeſtiva* imponantur, materia evadit ſequacior.

§. 9. Ex veterum Sententia Emollientibus eſt calor & humiditas in ſecundo gradu, quædam etiam ſiccitas & vis emplaſtica. Neoterici illis paſſim tribuunt vires corrigendi ſiccitatem, concretum diluendi, roborandi

calorem nativum. Alii horum vim emolliendi tribuunt particulis mollibus flexibilibus, quibus cuti adhærent, quod de Emplaſtris inprimis prædicant, poros cutis occludunt, & tranſpirationem ſpirituumve fugam inhibent, colorem ergo internum in tumoribus augent, & maturationem æque ac ſuppurationem accelerant. Dantur qui allegant vim obtundendi acrimoniam, ut Spaſmi, per quos egreſſus materiæ impeditur, feliciter relaxatis fibris ceſſent.

§. 10. Veruntamen, quando ex antea allatis affatim conſtat, quam hiulca ſit analyſis operationum medicamentorum, quoties ad qualitates phyſicas & particularum pharmaca componentium figuras recurſus fit, brevis hic in examinandis memoratis hypotheſibus eſſe potero; inprimis, cum humida & mucilaginoſa inter emollientia prævaleant, ſponte apparet, quam longe ſit ætiologia ſucceſſus fidelis à caliditate vel ſiccitate petita, & quam ſub dolorum incremento ſalutari, ſpaſmi non remittant ſed augeantur.

§. 11. Omnem utilitatem ab Emollientibus dixerim redundare à majori fibrarum mollitie, ex qua ſpatium liberum magis paratur acceſſu fluidorum in materiam in certo loco hærentem agendi, ut fiat liquidior, & preſſione continuante fibras tenuiores diſrumpi, ex quo exitus incluſæ materiæ patet, id quod conſiderando phœnomena in hiſtoria allata magis eluceſcere poterit.

§. 12. Remittit quippe ab impoſitione Emollientium *dolor*, quia fibræ, ſive carneæ, ſive membranaceæ tenſæ, fiunt lubricæ magis, ut diſtenſionem adhuc neces-

ceſſariam magis tolerent, ex qua lubricitate flacciditas ſive *mollities* illa. Quod ſi humor contentus hujus conſiſtentiæ ut vaſa iterum intrare poſſit, ab his recipitur, *tumor* ergo *diſparet*; ſin minus, tentatur excluſio per poros cutaneos cute magis laxa, humida ad diluendum neceſſaria affatim congeruntur, locus intumeſcit, ſed ex fibrarum mollitie citra dolorem notabilem. Quod *frictio* & *calor* externus ſint juvamento, eſt quod per illam preſſio in vaſa & humoris in viciniam compulſio commode accedat, imo ſi viſcidior humor fuerit, ſuaviter diſcontinuentur, per hunc autem pariter fiat illius attenuatio & pororum apertura, ſicque via aufugiendi patula magis.

§. 13. *A Maturantibus*, quia hæc cuti firmius & tenacius adhærent, ſi ſub forma ſicca adhibeantur, aut ſub forma fluida, intenſiorem & perennantem conferunt calorem, agitatio materiæ incluſæ fit major, ut fibræ cutaneæ extendantur; & quia humores ad locum laborantem inſimul calore obſtetricante confertim ruunt, eſt quod dolor ingraveſcat, tumor magis in conſpectum veniat; pulſus verò arteriarum ſub tumore illo decurrentium percipiatur vivide magis.

§. 14. *Suppurantibus* adeſt vis, cutem, cui apponuntur, vellicandi, ut ad hanc vexam avertendam conſtans fiat ſeri in loco afflicto confluxus, quod humori incluſo junctum majus deſiderat ſpatium; cutis, qua materia includitur, fit ab expanſione tenuior & ad rupturam apta magis, ut continuante illa preſſione interna hæc tandem eveniat. Quod ſi ſub mora ad rupturam

humores mucidi magis evaſerint, ut ex ſpiſſitudine non debite profluant, *digeſtiva* ſubveniunt, à quibus intus abſceſſui immiſſis lenis titillatio, humidorum ergo pro defenſione acceſſus largior.

CAP. VIII.
DE
Vulnerariis.

§. 1. *Vulneraria* Medicamenta hæc à medicis ſalutantur, à quorum uſu præſertim externo *vulnera, ulcera, fracturæ* citius coëunt, uniuntur ac conſolidantur.

§. 2. In varias equidem ſolent claſſes dividi, variis nominibus conſpicuas: qualia ſunt *glutinantia, ſarcotica, epulotica, callum generantia*; placuit tamen uno capite illa comprehendere, quia in hunc finem adhibentur, quem cæteris paribus quoque aſſequuntur, ut ſolutæ unitates in partibus tam mollibus quam duris concinne readunentur, & ad priſtinum obſequium partes læſæ fiant aptæ iterum. Accedit quod ex medicamentis huc pertinentibus pro læſionis differentia, quædam ſint nunc ſarcotica, nunc glutinantia, nunc epulotica; imo ratione ordinis vel methodi adhibendæ ſeſe invicem excipiant.

§. 3. Quæ ex Regno vegetabili petuntur, ſunt è numero radicum, *radix Ariſtoloch. Symphit. cyperi rotundi;* Herbarum & Foliorum, *hypericum, millefol. pyrola, plantago, muſcus clavatus* & hujus *farina*; Florum, *flor. balauſtiorum, roſar. rubrar.*; Corticum, *cortices granatorum, quercus;* Ex Gummi-Reſinis *Thus, Sarcocolla, Ma-*

ſtix, Tragacanthum, reſina vulgaris, pix, myrrha, aloë; ex ſuccis, *Therebinthina, Colophonia*; quoad præparata *farinæ, olea, balſami* & hos inter *peruvianus* & de *Tolu*, tandem *Spiritus vini.*

§. 4. Regnum animale depromit *ceram, mumiam, Ichtiocollam, pilos leporis combuſtos, albumen ovi*, pariter ac Regnum minerale habet in hos uſus, *Lythargyrium, cadmiam, lapidem calaminarem, ceruſſam, tutiam, pompholigen, hæmatiten, gypſum, bolum armenam, oſteocollam, plumbum uſtum.*

§. 5. Quoad decompoſita inter officinalia ſic dicta medicamenta proſtant è claſſe Emplaſtrorum, *Emplaſtr. diapalmæ, ſtipticum Crollii, diaſulphuris Rulandi, oppodeltoch, gryſeum, de gratia Dei, de Minio, Norimbergenſe*; Ungventorum, *ungvent. de Lithargyr. diapomphol. aureum, baſilicum, de ceruſſa, de minio, album Rhaſis, balſama vulneraria* variæ deſcriptionis.

§. 6. Euporiſtis annumerantur, *telæ aranearum, fuligo, lana cremata, linteum combuſtum, pellicula ex ovo, ex inteſtino recto brutorum, lamella plumbi, pulvis Sympatheticus.*

§. 7. Quoad Hiſtoriam operationis vulnerariorum in patulo eſt, Sarcotica & glutinantia citius opem ferre, quando ſtatim à ſolutione unitatis admoventur, ac quando hæc per tempus quoddam duravit. A balſamicis, inprimis in plagis nervorum tendinumve dolores demulcentur, & plaga conſolidatur. Quodſi plaga fuerit profunda & hujus hiatus largus valde, non idem illud poteſt inde exſpectari, ut potius ſtatim admota damnum inferant. Non raro internis medicamentis corpori una

proſpiciendum eſt, quo ſarcotica officium ſuum præſtent. Præterea quamdiu impedimenta quædam in vulneribus vel ulceribus hærent, aut nulla eſt aut infida glutinantium operatio, ut quantocius illa ſint removenda. Quod calli generationem ſpectat, nec in ſenibus tam prompta efficacia, quam in juvenibus: nec in cacochymicis quam ſano cæteroquin habitu præditis.

§. 8. Veteres in Sarcotica eligebant, quæ moderate calefacerent & exſiccarent citra adſtrictionem; hinc ſicca primi & ſecundi gradus deamabant, pro conditione vulneris partisque læſæ majori aut minori humiditate, calida vero in ſecundo gradu. Glutinantia iſtis erant ſicca, frigidiora potius quam calida, quod ſi adſtringerent, ſimul in uſum vocabantur pro epuloticis & callum generantibus. Recentiores ſarcoticis vires tribuunt, quia mediocri ſuo calore, deterſione calorem partis ſauciatæ conſervent, ſordesque è vulneribus aut ulceribus auferendo, humoris nutritii influxum & appoſitionem promoveant; glutinantibus vero, quod valide ſatis deſiccent & adſtringant, pariter ac callum generantia hoc modo alimentum oſſa alluens in callum convertere ſtatuunt. Alii aliter ſentiunt, voluntque, ſarcotica & glutinantia ſuccum nutritium concentrare, poros deſtructos reſtituere, fibrasque diſtortas reponere, quo ſuccus nutritius priſtino more in partem ſauciatam affluere poſſit.

§. 9. Sed, quæ paſſim circa medicamenta obſervatur impotentia, quando vel maxime agere debent, niſi motus & ſubſidium P. C. C. concurrant, hæc itidem circa

ca ſarcotica, epulotica & callum generantia ſe prodit, adeo ut ab illius activitate majori aut minori, regulari vel minus regulari, vulnerariorum fata pendeant. In confeſſo etenim eſt, id quod experientia quotidiana confirmat, chirurgos oleum & operam perdere, niſi, quod hi fatentur, natura blando nutu acceſſerit. Nec ergo eſt, ut in examine allatarum hypotheſium multus ſim. Omne juvamentum, quod ab illis exſpectari jure poterit, in hoc momento terminatur, ut acceſſu ſuo arceant impedimenta, quæ P. C. C. optimas curas turbant, optima conſilia intercipiunt; faciant ergo, ut hujus intentio reſtituendi partem afflictam juſto magis ordine & feliciori ſucceſſu obtineat.

§. 10. In aprico jam eſt, quare vulnerariorum, qui his tribuitur, effectus longe celerior, quando recens adhuc plaga? quia fibræ carneæ diſciſſæ, nondum adeo à ſe invicem reſilierunt, nec rigiditatem illam contraxerunt, ac quando, tempore aliquo præterlapſo, magnus hiatus vulneris & notabilis durities in labiis plagæ. Modo enim à vulnere inflicto labia per manualem operam fuerunt ſibi appoſita & glutinantia ſuper impoſita, citra quod alio adjutorio opus ſit, fibræ iterum coaleſcunt & priſtino uſui redduntur aptæ. Quodſi vero ſub vulnere inflicto inſimul portio quædam carnis ablata, pariter glutinantium minor eſt virtus, quia labia non tam prope ad ſe accedere poſſunt, ut fibræ fibras iterum excipiant vel oſculentur.

§. 11. Haud tamen à fibris carneis tantum hiatus illi dependent ſi fuerint ſub vulnere diviſæ, ſed quia

ten-

tendinum nervorumque fibræ, inſtatu horum ſano magis adhuc tenſæ ſunt, eſt, quando ſub vulnere ſcinduntur, ut magis à ſe invicem recedant, fiant rigidæ, nec adeo facile protrahi denuo poſſint. Non leve ergo ſolamen in ſarcoticorum balſamicorum applicatione, qua rigiditas iſthæc tollitur, quo de illis flexilioribus melius in uſum corporis ſtatuere poſſit. Remittit ergo ab uſu illorundem dolor, & major affulget coadunationis Spes.

§. 12. Inter impedimenta medelæ, de quibus modo dixi, vitium quoque eſt particularum nutrientium, vel quod non tanta in Sanguine copia adſunt, ac quidem ad gratam nutritionem in corpore & jam in vulnere magis præſtandam requiritur; vel quod à ſeri majori copia nimis diſcontinuantur, vel quod per celeriorem Sanguinis decurſum, quamvis ad partem vulneratam appellent, abripiuntur iterum & partem conſolidandam trajiciunt. Fruſtranea itaque ſub his circumſtantiis vulnerariorum impoſitio, niſi per interna auxilia vitia memorata corrigantur.

§. 13. Ad impedimenta porro conſolidationis referenda ſunt omnia illa, quæ in vulnere vel ulcere vitioſe hærent; ut fruſtranea ſit à vulnerariis admotis ſpes, fruſtra quoque exſpectanda plagæ reſtitutio. Quantum equidem P. C. C. ſtricturis fibrarum in vicinia ſitarum, vel majori copia fluida circa plagam congerendo, ad remotionem incluſorum præſtare poteſt, hoc præſtat; ſed quando profundius hærent vel incuneata nimis ſunt, ut ſuos conatus mediis memoratis ſibi familiaribus inſtituendos elidant, lætatur, ſicubi aliunde ſubſidium

remo-

remotionis acceſſerit, ut tarditatem conſolidationis celeriori occluſione compenſet, nec ferè glutinantibus indigeat.

§. 13. Quoad differentiam operationis vulnerariorum reſpectu ætatis, ut ſit conſpicua magis & fida in juvenibus quam ſenibus, eſt illa in diſcrimine nutritionis repoſita. Nam quando jam dum quoad omnes motus vitales omnia in corpore ſunt remiſſiora, ut ſecretiones & excretiones ſint languidiores, pariter nutritioni partium præſertim accretioni vigor decedit; haud ergo aliter eſſe poteſt, ac quod in ſenibus ſive vulnerum ſive ulcerum ſit conſolidatio tarda, oſſiumque fracturarum callo uniendarum tarda ferruminatio; quod è contra in junioribus ſatis cito & firmo nexu obtinet, in quibus accretio vivida & valde conſpicua.

CAP. IX.
DE
Cathæreticis.

§. 1. *Cathæretica*, item *corroſiva* hæc in medicorum ſchola audiunt, quorum uſu externo humoribus vitioſis cute incluſis, ut prodeant, apertura paratur: item quibus vitioſæ excreſcentiæ ſuperficiem corporis turpiter defædantes abſumuntur.

§. 2. Eſt quidem ex recepta doctrina illa inter differentia quædam, ut, omiſſis veſicantibus, quæ præſentis loci non ſunt, ſed de quibus in præcedenti diſputa-

tione de Evacuantibus fuit actum, alia ſint *Septica*, alia *Eſcharotica*, alia *Cauteria potentialia*, alia *Pſilotra*: ſed in diverſo gradu operationis conſiſtit illa, & multum à diverſo applicandi modo dependet, ut ſub uno capite exponi, & quoad modum operandi trutinari poſſint.

§. 3. Penus Regni vegetabilis pauca habet, quæ huc faciunt. Ex Radicibus ſunt *radix ireos florentinæ*, *ariſtoloch. rotund.* in clibano ſiccata, *chelidon. major.* Ex plantis *eſula*, *ſabina*, *folia ſennæ*; ex Gummatib. *Euphorbium*; ex præparatis *cineres tabaci*, *clavellati*, *oleum tartari* per deliquium, *liquor nitri fixi*: nec regnum animale præter *axungiam leporinam* & *cineres concharum* vix quædam novit. Regnum è contra minerale penuriam illam largiter ſupplet, offerendo *vitriolum*, *æruginem*, *calcem vivam*, *arſenicum*, *alumen uſtum*, *plumbum uſtum*, *mercurium ſublimatum*, *mercurium dulcem*, *mercurium præcipitatum rubrum*, *ſpiritus acidos*, *butyrum antimonii*, *cryſtallos lunæ*, *magnetem arſenicalem*, *lapidem infernalem*. Ad decompoſita referenda *unguentum Apoſtolorum*, *Ægyptiacum*, *fuſcum Würzii*, *lapis medicamentoſus Crollii*, *aqua viridis Hartmanni*, *aqua phagædenica*. Inter evporiſta ſunt *globuli lignei in ſpiritibus acidis* macerati.

§. 4. Hiſtoria operationis differt, quia applicatio horum medicamentorum nunc fit cute adhuc integra, nunc hac jam dum lacerata, nunc ad abſumenda tantum vitioſa externa.

§. 5. Ab *Eſcharoticis* item Cauteriis potentialibus decenter admotis, hora circiter elapſa, in loco applicatio-

tionis factæ dolor quidam rodens percipitur, qui abit in ardentem ſatis injucundum, ac ſi pruna locum tegeret; ſed qui poſt aliquot horas fit obtuſus & tandem perit. Remoto medicamento cutis in loco impoſitionis nigricantis apparet coloris, in circumferentia vero rubedo. Nigricans illa cutis portio, quæ Eſchara vocatur à Chirurgis, aut ſponte poſt aliquot dies ſecedit, aut, quod ſolennius, medicamentis emollientibus ad ſeceſſum apta redditur.

§. 6. *Septicis* adhibitis cutis calor, citra cruſtam tamen, in cadaveroſum mutatur non facile emendandum. *Cathæreticorum* (in ſenſu ſtrictiori) vis omnis in ſuperficie cutis ſubſiſtit, ut excreſcentiæ deformes abſumantur; ſolent vero concidere ſtatim, ſi luxuriaverint, quando continguntur iisdem, quo minus facile propullulent. *Pſilotra* ſunt quidem pilis deſtruendis tantum dicata, nec tamen dantur, qui non cutem ſimul corrodant, aut nullius ſint efficaciæ.

§. 7. Veterum de efficacia horum medicamentorum hæc erat mens, ut dicerent: *Eſcharotica* calida eſſe in quarto gradu, ſed craſſioris ſubſtantiæ, ut nec tam cito, nec ultra cutem agere poſſint; *cauſtica* vero ſumma & vehementiori calore prædita; *Cathæretica* calida in quarto gradu, tenuis vero ſubſtantiæ, ut ſeſe facilius inſinuare in excreſcentias poſſent; *Septica* calidiſſima & ſicciſſima, calori nativo infenſiſſima, ut hunc, ſi non fugent, deſtruant tamen; *Pſilotra* mitiora eſſe ſeptica ad horum naturam accedentia. Recentiores in his medicamentis accuſant terreas particulas ſalinas

acrioribus ſtipatas, & pro harum mixtura nunc minus nunc magis operari, hac cum differentia, ut alcalica nigram, acida vero candicantem poſt ſe relinquant eſcharam. Nonnulli horum confugiunt in ætiologia operationis ad aculeatas & ſcindentes particulas, quibus poros partis aperiant, humores in illis contentos attenuent, exagitent, & vario modo commutent.

§. 8. Superſedere potero examine, quam inſufficientes ſint allatæ cauſæ in nudis qualitatibus & ſola figura collocatæ ad effectus memoratos inducendos; ſi hoc unum monuero, nec eſcharoticis nec ſepticis, nec philotris eſſe quandam efficaciam in cadavere humano, ut vel eſcharam excitent, vel minimam excreſcentiam tollant; dum vix cuticulam, ſi admota fuerint, criſpare potis ſunt. Dependeat ergo, neceſſe eſt, quæ illis tribuitur efficacia ab alio quodam agente hic concurrente, verbo: à reactione P. C. C. pro defenſione cutaneæ ſuperficiei.

§. 9. Quando jam in articul. de veſicatoriis probatum eſt, elevationem cuticulæ & reliqua phænomena veſicatorii applicationem excipientia tribui debere juſtæ defenſioni naturæ, quam pro organo ſibi valde utili adornat, & hic attendendum erit, mutationes cutis ab applicatione catheræticorum eſſe ſequelas curæ P. C. C. ſuperficiem cutaneam conſervandi & pericula inde metuenda avertendi. Quod vero, quando à veſicatoriis tantum elevatio cuticulæ, à cathæreticis vero eſchara & plaga emortualis accedit, eſt quod his major ineſt vis deleteria, ut pro arcendo talis nocivi ingreſſu in intimio-

miora, tum inprimis in ſangvinem, præſtet particulam cutis perire quam totum corpus; patebunt hæc magis ex evolutione Hiſtoriæ modo relatæ.

§. 10. Attuli, quam eſcharotica non ſtatim ac apponuntur, dolorem afferant, ſed temporis momentis aliquot elapſis, id quod tribuendum ſalibus, ex quibus conflata ſunt. Hæc ab halitibus per cutem tendentibus liqueſcant ante neceſſe eſt, quam in cuticulam, abhinc in cutem penetrent. Eſt inde, quod eſcharotica cum ſaliva madefacta ſint in operando celeriora. Statim vero à ſolutione criſpatur cuticula, criſpata laceratur, ac abhinc ad cutem fit progreſſus. Sub hoc diſcrimine defenſio naturæ, quam pro cutis particula inſtruit, periculum auget, dum à ſero, quod copioſius ad partem afflictam ablegatur, corroſivum magis ſolvitur, & ſolutum magis redditur inſolentius ad cutis particulam deſtruendam. Diverſa quoque iſta fibrarum in loco cutaneo actio, dum mox ſtringuntur fibræ cutaneæ pro excludendo cathæretico, nunc relaxantur pro ſeri ingreſſu, dolorem illum infert ardentem, de quo afflicti in loco impoſitionis conqueruntur. Siquidem vero à cathæretico tubuli in parte correpta penitus deſtruuntur, quo minus ſanguini vel ſaltem ſero pateant viæ, eſt quod humida non amplius affluant, pars correpta emoriatur; & quia fibræ cutaneæ per quas hactenus cohæſerat, tumidiore exiſtente & in altum ſurgente vicinia, diſrumpunt, libera fiat, ſive, quod ajunt, eſchara inducta ſeparetur. Copioſiorem vero affluxum in viciniam colligere eſt, partim ex rubedine hujus intenſio-

ri, partim ex calore majori, vel rectius ardore, qui adeſt.

§. 11. Ad ſeptica progredior, quæ non tantarum virium, ut fibras cutis deſtruere poſſint, fluida tamen ſuperficiem cutis perreptantia coagulando perdere, dum cuticulam penetrant; ſtatim ergo ac apta ſenſus internus de hoc monuit, ſubducitur in illo loco ſanguis, ex quo collabeſcentia fibrarum, pallor, frigus, quæ ſunt phænomena familiaria ſub quavis ſanguinis revocatione.

§. 12. Qui à reliquis & mitioribus cathæreticis obſervantur eventus v. g. quod caro luxurians inde collabeſcat, quod leves excreſcentiæ v. g. verrucæ, clavi concidant, eſt à corroſione fibrillarum, per quas ſuccus nutritius hactenus acceſſit. Sunt vero eædem molles & ſpongioſæ, ut ad levem corroſivi contactum in ſe recidant, ſed & facile ſurgant à novo accedente fluido, niſi uſus cathæreticorum continuet ad plenariam fibrarum deſtructionem.

§. 13. *Pſilotra* niſi cutem arroſerint, ad pilorum radices deſtruendas penetrare haud poſſunt: inſida ergo. Quod ſi vero cutem arrodendo eò pervenerint, cura tamen eſt palliativa, pilis de novo progerminantibus.

CAP. X.
DE
Coſmeticis.

§. 1. *Coſmeticorum* nomine veniunt Medicamenta, à quorum uſu externo cutis vitia in facie præſertim &

ma-

manibus tolluntur, ut his reddatur mollities & color naturalis.

§. 2. Quoad ſimplicia è Regno Vegetabili huc faciunt è grege Radicum, *radix ireos florent. ſigill. ſalomon.* Herbarum & foliorum, *Satyrium maculoſum, petroſelinum;* Fructuum, *amygdalæ amaræ, nuclei perſicorum;* Gummi-Reſinoſorum, *Camphora, Myrrha, benzöe;* Succorum, *Lacrimæ vitis;* quoad præparata autem *aqv. fabarum, Sigilli Salomon. Lil. alb. petroſelin. Spiritus Vini camphor. oleum tartari per deliquium, liquor myrrhæ; Eſſent. benzöe, oleum lign. Rhod. Lacca florentin. Bezetta.*

§. 3. E regno animali inſerviunt *Sperma ranarum, Fel tauri, aqv. flor. omnium, ſerum lactis, pingued. viperar. oleum ovorum &c.* Tum quoque è Regno Minerali, *Ceruſſa, talcum,* & *hujus,* quod volunt, *oleum, marcaſita* & hujus *magiſterium, ſaccharum ſaturni, mercurius cosmeticus.*

§. 4. Generatim & inter evporiſta referenda ſunt omnia, quæ cutem mundificant, detergunt, ac reddunt contactu mollem, quæ inter ſaponacea, item defrictio faciei halitu oris matutino linteo excepto inſtituenda.

§. 5 Effectus cosmeticorum eſt, ut vel roſeus in cute color compareat, vel albedo, item nitor. Cutis ante asperior & foveolis fœda, glabra redditur & ad viſum & contactum æqualis. Quodſi tamen coſmetica diutius fuerint continuata, præſertim facies fit rugoſa, hiſpida & conſpectu fœda valde.

§. 6. Ratiocinia ſive Veterum, ſive Recentiorum de modo operandi, qui ſit cosmeticis, prolixe afferre eò lubentius abſtineo, ne cramben toties coctam quam

parum

parum ſuetæ ætiologiæ phænomenorum à medicamentis obviorum ſive à qualitatibus, ſive à mechaniſmo petitæ, animum, nexum inter cauſam & effectum noſcendi cupidum, ſatient, in faſtidium & nauſeam apponam.

§. 7. Redeunt, quæ à coſmeticis cutis capit commoda ad tria hæc momenta; vel ut immundities, cuti inhærens, intimius auferatur: vel foveolæ ejus repleantur: vel fibræ cutaneæ ſuaviter adducantur, quo æqualior ſit ſuperficies. De coloris rubicundi vel albicantis acceſſu per coſmetica res per ſe clara eſt. Primum illorum faciunt aquea vel ſalinis vel reſinoſis acuata; alterum expectare licet ab oleoſis ſeu pinguibus terreis gratè ſociatis; tertium ab amaris, lixivioſis & repellentibus externis.

§. 8. Redit itaque color naturalis & nitor, dempto qui cutem obſederat ſqualore, impacta, quæ à calore ſolis cutem corripuerat rubedine, apertis ita porulis, quo pro transpiratione redintegranda, quam ſqualor & calor vitiaverant, ſanguis vaſa capillaria cutis perreptando, copioſior affluat, à quo inſimul jucunda faciei turgeſcentia. Aſperitas verò corrigitur, à coſmeticis foveolas replentibus, ut æqualis ſit cutis ſuperficies.

§. 9. Quod ſi tamen coſmetica repellentia diutius in uſum trahantur, à quibus ſanguinis decurſui per faciei extrema obex ponitur, eſt, quod à minori cutis extenſione hæc in rugas concidat, cuticula ſuper impoſita fiat ſtrigoſa, ab incuneatis humoribus ſurgant puſtulæ & facies undique fiat deformis.